




BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
21 F
24

MICHAELIS GASPARIS BÆLTRANI LVSITANI

AD CAROLVM EM.
Serenis. Sabaudiæ Ducem

SILVARVM LIB. VI.






AVGVSTAE TAVRINORVM.
Apud hæredem Nicolai Beuilaquæ.
MDLXXXIIII.

MICHAELIS GASPARIS BELTRANI LVSITANI.


SILVARVM LIB. I.

AD CAROLVM EM. Sereniss. Sabaudiæ Ducem.



IVE Sabaudiacas cui ius feliciter oras
Legitimum frænare dedit, quē Martia virtus
Per varios deducta patres, & adorea clarat
Parta manu: meritis e si minus, accipe munus,
(Dulcè serenato sed frontis sidere) nostri
Primitias animi virides, fructusq; iuuentæ.
Tempus erit, cum iam Clario sublimior œstro
Bis Rhodanu sceptris, bis adactas legibus Alpes,
Et malè possessis expulsum ex vrbibus hostem
Expediam. primos non dedignabere lusus,
Sudoresq; rudes nitentis in ardua Musæ:
Scilicet Aonio cum Dux Helicone recessit

 Mœret



Mæret humus, marcent laurus, impunè colonus
Lædit Apollineo viduatas numine siluas,
Et minimis distat nil frontibus Hippocrene;
Cum reduci montes vultu exhilarauit amicos,
Silua viret, sacer horror aquis venit, antra loquu
Et noua Castaliæ fundunt oracula rupes (tur
Non aliter domini cum nil mea fidat honori
Silua, trematq; manus vulgi, instātesq; secures:
Dexter ades: spiret leuis aura, arrideat vmbra,
Et rediuiua nouet morientes gratia plantas.
Quiq; tibi surgit, vacuis procedet ab antris
Zacharides: verbisq; meis subsidere montes,
Aspera molliri, facilemq; ostendere callem
Culmina venturo videas abrupta Tonanti.

Ad lectorem.

VT fremitu Balbus vocat in certamina
Montis Deas inutili: (Magni
Sic aliquis nostris videat sua crimina chartis,
Et signa mentis impiæ.
Cuiq; det inueniat Barti, cui iurgia Balbi,
Cirniq; nomen improbi.
Non ideo maculas si vox eliminat, ira
Vltrice, quemquam pagina

Nostra

Nostra ferit, patris exemplo sublimis in arces
Inhospitales Caucasi
Tela exercemus. noli mendacis acumen,
Viresq; promere ingenî.
Non opus hoc animum, moneo, fallacibus ambis
Corruptum opinionibus.
Aurea siderei sequimur vestigia Christi,
Sanctæq; legis orbitam.
Nec recto iniustas mens est offundere nubes;
Nec infimorum marcidum
Tollere, uel ficto decus illustrare nitore,
Ritu aut profano lædere.
Musa Sophocleos iam nunc meditata cothurnos,
Magnæ æmulatrix Mantuæ
Materiam intentat variam, quò plenius olim
Mouere sceptra calleat.
Laudis erunt ergo tibi vera encomia, at omnis
Amor, probrumq; fabula.
Nam licet externos virtus contemnat honores,
Suoq; fidens robore
Fortunam diros alta de sede furores
Insanientem rideat.
Occultæ virtutis opes quià penè latenti
Distant nihil ignauiæ.

Ponè recusantem sequitur sua gloria, & ultrò
Cingit corona verticem.
Contrà oculis semper vitiosæ mentis oberrat
Vltrix flagellum criminis.
Vindictamq; petunt misera de labe sorores
Infernæ, & horror conscius.
Pieris insequitur, quò te deterreat, atram
Infesta turpitudinem.
Fortè Amithaonio tangam tua vulnera ferro,
Nè te saluti subtrahe.
Nectar apes, & mella vagæ per florea rura
Thymo ex amaro colligunt.
Nostra dabunt olim tibi mel absynthia, surget
Mordace laus è iurgio.
Auxiliumq; petes ab eadem, vt Telephus, hasta
Quæ cæca acerbat vlcera.

IN LAVDES
CAROLI EMANVELIS
SERENISS. SAB. DVCIS
PANEGIRIS.

VT *tepidis animata mouent se germina pennis*

Matris

Matris, & ex ouo soboles noua prodit hiulco:
Ecce Panomphæi Iouis armiger vnguibus vncis
Arripit, & nubes oneratus pignore caro
Transuolat, & cælũ, & Titania consulit astra
Ingenium, viresq; probans, damnãsq; magistri
Sidere. siquis enim roseo deflexit ab arcu
Degeneres oculorum acies, vultumq; retorsit,
Hunc feritas generosa patris male perdit, & alti
Pectoris abiectos vlciscitur ira timores.
Qui vero obtutu flammarum fixus in vno
Fulgura non timida patitur Phœbeia fronte;
Spicula laturus supero Cyclopea regi
Seruatur, magnosq; hæres nutritur in vsus
Legitimus late patrio dignandus honore.
Non secus Aoniis spectandũ me quoq; in armis
Musa sui solis radios, & lumina recto
Imperat ore pati. patiar: satis antè, superq;
Lusimus ætherei liceat commercia mundi
Audaci tentare lyra: conscendere Atlantis
Assuetos astris humeros, ignesq; tueri
Aeternos. ades Allobrogum decus addite laudi
Emanuel, tu sol Musæ tu gloria nostræ.
Te celebrem duce te. claræ tibi plena voluntas
(Si malè firmatis non sit subsistere neruis)

In pretium virtutis ext. tria numina mouit
Vna Hyrei pietas facilemq; in vota Deorum
Baucis anus caro traxit cum coniuge regem.
Quartus in exemplũ veniam, nec munere nixus
Castalio, sed sincera munimine mentis
Emanueliacum dicar meruisse fauorem.
Vnde autem calor ire? canámne ab origine bella
Beroldo gelida quondam sudata sub alpe?
Fulmineosq; duces, quorum virtute superba
Saxonidûm sublime caput domus inserit astris?
Quot dederit, quãtosq; viros ad sceptra Sabaudũ
Semen? in imperium quæ nomina legerit orbis?
Petrica cui niueos interplicet infula crines?
Quã Tagus aurifluo dominã sibi vẽdicet alueo?
Quam Lygeris claros inter non ultimus amnes
Ad solium, fascesq; vocet? cui rector aquarum
Præbeat Italidum famulas Padus obuius vlnas?
Immensæ sed molis opus, nec viribus æquum
Infirmis. aderit tempus, cum fortior altum
Saxonidûm enitar per tot deducere nomen
Secla, Sigueardi quot abest ab origine Carlus.
Intereà fragiles dum firmat robore neruos
Musa suo, satis est in lumine lumina tanto
Figere, & eximiæ iam nunc præconia laudis

Mæonio celebranda olìm proponere plectro.
Scilicet è modicis oriuntur fontibus amnes,
Quaq; fluunt, augentur opes. sic Nilus in omnem
Paulatìm accrescens Phariæ diffunditur oram
Telluris. variis sic errat flexibus Ister,
Donec in immensum turget, sic Indus, & ipse
Gemmiferæ regnator aquæ se gurgite Ganges
Vix capiens pulsat non vno Nerea cornu.
Sic ego, qui quondam Culicē, Scyllamq; canebā
Condere iam Siluas ausim, sed Principe dignas.
Dumq; sit integrum spatioso excurrere campo,
Belligerosq; æquare animos, Martemq; canēdo,
Quos non Herculei lædant incendia monstri,
Bruma nec exurat glacialibus horrida nimbis,
Perpetuùm lætos amor est euellere flores,
Vnde piis Phœbus ducibus contexere serta
Aeternùm radiata solet. nec dignius vnquam
Illuxit virtutis opus. quod flauus Achilles
Neptuni pignus ferro impenetrabile ferro
In Stygias vrgens tandèm demiserit vmbras,
Mæoniam exercet Musam: non regia Mysi
Marte fero populata latet: non inclytus Hector,
Laomedonteis Hector fiducia rebus.
Vt pius Aeneas medios impunè per hostes

Eripiat patrem, natumq; ad fortia ducat,
Flammarum cedet globus, arma hostilia tutam
Non vltrò tribuêre viã, confessaq; numen
Mater ab Iliaca rapuit formosa ruina.
Hoc Romam laßat. rabiem ductoris iniqui
Mutius imposita flammis (memorabile) dextra
Vicit ouans patrias in se conuertere clades,
Dũ metuat Tirrhena manus. simulaße tot annis
Stultitiam pulchra pro libertate seuerum
Quem latuit Brutum? quæ tranas flumina rupto
Ponte Cocles non ora mouet? scrutabere Thebas,
Inuenies lapsum Antæo concedere vires,
Humana Diomedis equos pinguescere cæde,
Vulneribus fœcundam ipsis, damnoq; potentem
Acriùs è multis insurgere mortibus Hidram,
Custodem terno muniri Acherontis hiatu,
Anguibus armari Furias. quid tanta requirit
Scena Deæ? quid tot rerum miracula poscunt?
Scilicet ut docto cedat sapientia Bruto,
Alcidæ virtutis honos: sua lumina quemq;
Partiunt illustrent. nam si præstantibus armis
Hic decus, & famam meruit: mox crimine pacẽ
Incestat vario, stimulis absumitur ira,
Rumpitur inuidiæ telis. his more ferarum

In Venerem præceps ruit, omnia prauidet ille
Consulere in medium felix, sibi inutilis author;
Nobilitat quem forma decens & gratia frontis,
Pectora Cimmeriæ premitur caliginis vmbra.
Vsque adeò humanis ludit sors inuida rebus,
Vt nihil absoluat, nihil omni ex parte decorum
Artifici natura manu deduxerit vsquàm.
Quæ tamen extollunt reliquos ad sidera reges,
Emanuel collecta tenet, non gloria formæ,
Non animi, generisq; decus, non ignea virtus
Deficit, excelsam clarat solertia mentem,
Abstrusi nexus solertia soluere iuris
Callida, non viles horrens Constantia cœptus,
Desit, adest frangi aduersis patientia rebus
Nescia; quæq; solet frænare libidinis ausus
Temperies, & quæ temerè nihil incipit, hæret.
Ne Patris decora alta canã quẽ (dextera fortis
Imperii nisi sceptra sui detracta parasset
Marte palã, & primis atauos æquasset in annis
Egregios) satis efferret super æthera natus
Carolus, hoc pietas veluti sacraria pectus
Incolit, hæc Stygias nostro fugat orbe sorores,
Et prohibet diro latè indulgere furori,
Sanguinis inde hominum parcus, defendere iustos

Promptus, & offensis ignoscere largus, in omnem
Iustitiæ, rectiq; viam deflectere mores
Pronus, & vt superam tonitru Saturnius aulam
Concutit innocuo moturus murmure mentes:
Aetneis Rhodopen petit ignibus, ignibus Oeten,
Et tela in Pholoes nemora alta Typhoea seruat
Effrænos terrore ausus, scelerumq; coercet
Non ira sed iure manus contentus amoris
Corda adamantæo populi sibi iungere vinclo.
Sic Nerua æternæ meruit præconia famæ,
Et laudem pietatis habet. certißima diuûm
Stirps, Anchisiades: sic altum ascendit Olympũ
Alcides iactatq; sui Solomontis honores
Palmifer Eufrates non has detrectet habenas
Fabritius; iuga Brutus amet succumbere tali
Non pudeat sceptro Magnum, supremus adoret
Regna Cato, subeatq; vltrò: non Caßius ullas
Intentet fraudes: nec enim felicior orbi
Libertas maiusq; decus contingere poßit,
Quam iusto seruire Duci. virtutibus almam
Adde fidem reliquis. quæ non surrepere menti
Toxica, non animi blandis inuoluere linguis
Fel patitur, cum bella fremunt præcordia, cæcum
Conantem falso prætexere melle venenum.

Luce

Luce palàm inuisos odit; non prisca recedit
Gratia; non veteres aliis venientibus vltrò
Spernit amicitias, meritumq́;, decusq́; vetustum
Maiorum seros perdurat ad vsque nepotes.
Officiiq́; memor placidis amplectitur vlnis
Natorum natos, & qui nascuntur ab illis.
Iactet Alexandrum Macedo, Sidonia Pœnum
Agmina, Cæsareæ Latium præconia gentis.
Non tamen efficiet quin hunc temulentia cogat
Turpis in vnanimes ferro sæuire sodales,
Hos maculæ centum deforment. Martia tollunt
Facta Sabaudiacum tollit Clementia sceptrum.
Perlege Pingonios, operosa volumina fastos,
Historias, Dux magne, tuas moresq́; tuorum,
Et generis decora alta, tuis victoria castris
Militat, egregia pietate innixa, uel armis.
Certet Erythræis aquilā redimire smaragdis
Romulei mens alta ducis. iactetq́; columnas
Herculeas alter, clara auro præferat ille
Lilia, turris amet validæ munimen, & ultrà
Gaudeat ille maris fines transisse, soliq́;
Ignotas penetrasse plagas, arcanaq́; ponti,
Non titulos conferre tuis insignibus ausit.
Hinc toruo micat ore leo, cui pectora denso
Texunt

Texunt crine iubæ, munitur fulmine dentis
Ausus in Herculeos rictus sæuire lacertos.
Arduus inde tumet sonipes, & liber aheni
Ora lupis, celeres cursu præuertitur Euros.
Seu tua contempto Pyrois Hyperione fræna
Suspirat. seu te volucer Polluce relicto
Cillarus affectat dominum. seu Xanthus habenis
Thessalicus spumare tuis cupit ignea mentis
Semina, & ingentes animos, & proxima cœlo
Pectora vterq; notat quid crux, viridesq; coronæ?
Sed pri' expediã, quot habẽt rubra æquora gẽmas
Quot viridis Dodona comas, quot voluit arena
Corpora Marmaricæ rapidi violentia venti:
Quam tantæ memorare domus insignia possim.
Rege sub iniusto siquis decora alta parentum
Nuda gerat colitur, regnat, viret, audet, amatur.
Præferat at claro virtutem sanguine puram,
Aut opibus, deiectus inops, contemptus, & ipsi
Inuisus non solùm aulæ sed fabula plebi est.
Sub Carolo paribus studiis quærunt ur honores
Omnibus, ad laudis fructum conscendimus vno
Tramite sudat egens, quo puluere diues anhelat,
Gloria non generi, aut auro sed inhæret honesto.
Si populo sunt illa suo felicia sceptra

Quæ

Quæ sophiæ præcepta regunt, ubi præmia recto
Stant sua, nec scelerũ furiæ bacchantur iniquæ
Supplicii terrore sui. Saturnia sunt hæc
Regna. colit terras virgo. florescite rursùs
Ingeniis. virtus (neque trux insultat egestas)
Surgit, & æthereis Helicon caput arcibus infert.
Colla leuant oppreßa Deæ. Parnasius auro
Fulget apex nec egẽs probitas cotemnitur, audet
Nec vilis christas ignauia tollere Crœso
Poßideat maiora licet venit omnibus oris
Delectus uirtute chorus placidisq́; receptus
Alloquiis, aulã innumerus replet aduena multa
Dote nitens animiq́; bonis illustribus aureus.
Scilicet hæc magno prima est atq; ultima Carlo
Quæstio, non census pretium non sanguinis ordo.
Et meritò nec enim cælent natalia culpas,
Diuitiæué suas. tollat natalia virtus,
Et census decorent animi ornamenta nitentis.
Publica ceu refert ducis emolumẽta benigni
Quærere: sic etiàm miseris auertere cladem:
Innocuos nè fraude premant uexentq́; nocentes.
Ibit enim niueum dubia indiscrimina pectus
Forsitàn, & sancto libeat deflectere calle:
Cum videat tolli scelus exitiale, premiq́;

Sordi-

Sordibus aspersam nullis, aut crimine mentem.
Idcircò ne causa grauis, ne deuius insit
Arbitriis error, legitur qui litibus vmbras
Ambiguis pellat, latebris quo iudice possit
In causæ finem venturum emergere verum:
Ac veluti moueat quæsitor Gnossius vrnam,
Resq; integra nouas Rhadamãti examina pẽsẽt,
Præmiaq; incertis sua diuidat Aeacus ausis,
Non odium, non ira mouet, non gratia flectit
Iudicium, stat ius certum. non liuidus hæres
Expallet pro sorte sua, pro rure, domoué.
Non latrans immane reos delator acerbat,
Non premit insontes vox improba. dicere possem
Bernardine tuum decus undè Sabaudia ducat,
Quîs consanguineam meritis conscendis in aulã,
Vt fido pondus fulcis regale labore:
Herculeæ nisi molis onus, laudumq; sequaces
Obruerent vndæ. talis delectus habetur
Saxonidæ Carolo, qualis sub rupe canenti
Castalia Phœbo. gaudet firmata senectus
Iuris, & infuso renouatæ numine leges
Informes posuêre situs, roburq; verendum
Accepêre palàm, deletur inutilis æui
Edictum, recreantq; noui noua iussa uigores.

Sacri-

Sacrificum sic Roma Numam, Tritonia talem
Oppida Cecropium quondam vidêre Solonem.
Despexitq; humilis Sparte munimina muri
Legibus austeri meliùs defensa Lycurgi,
Harpalice innatum posuit Threissa timorem.
Quæ verò grauitas animi! quod pectore nectar
Manat! quod verbis pondus! mirantur, amantq;,
Seu Lygeris liquêre sinus, seu flumine Rheni,
Seu rutilo venere Tago, responsa cateruæ.
Non alitèr primis iuuenis Pellæus in annis
Nil nisi maturum voluens, nil vile locutus
Signa dedit magnæ, natæq; ad grandia mentis.
Nec curæ immunẽ, uacuo nec pectore quisquã
Ponderis oblitum vidit, paulumq; remisso.
Aut proceres inter dapibus, choreisq; vacantem
Iniussu Naturæ tuo, causaq; remota
Lætitiæ. non luxuries aut deside somno,
Aut Veneris munita dolis intercipit actus.
Non citharæ molli cantu, non plausibus ædes
Fœmineis reboant. solerti indagine passim
Cecropii cinguntur agri, stant callida rerum
Agmina, quæ nullis vnquam explorata priorum
Ingeniis arcana mouent, doctamq; senectam
Excutiunt, peragrantq; vago modo sidera curru,

Nūc scrutantur aquas Neptuniāq; arua perrāt,
Nunc rimantur opes, & inertis pondera terræ,
Constituuntq; modum nascentibus ordine rebus,
Graiorum obscuris oracula mersa tenebris.
At Carolus voluens sapientu examina quærit
Cur vndis alter confidat, hic ignibus, ille
Aëra præficiat, cæcis hic omnia plagis
Procreet ambigua ducens primordia causa.
Quid casus, sortemq; vocent. cur ille releget
Numina. cur superos mortalibus inferat alter.
Conciliantq; suis doctum rationibus agmen,
Non dissoluendo verum concludere nodo (stas
Docta manus procerum tumet admiranda vetu
Facta palàm, & maior collectis viribus exit.
Non aliter fluuius modico procedit ab ortu
Torrentes, fontesq; legens stillasq; receptans
Vel minimas, iā turget aquis, iā præterit alueū,
Nec siluæ sufferre valent, immistaq; rapto
Armento stabula alta natant non segniùs omnis
Pectoribus latè plenus collecta vetustas
Aestuat & totis exundat fluctibus orbem. (ges
Nec satis hoc nisi Martis opus, clarasq; phalā
Aere canant arcesq;, & propugnacula ponant
Mirandis educta modis, cæcasq; latebras
Explo-

Explorent, & operta soli quod concaua bellum,
Quod prærupta petat, qd flumine cincta requirat
Planities, quos silua dolos, quas edita fraudes
Culmina, quæ cælent arma emersura cauernæ,
Vt turres, ut cincta lacu vis oppida sternat.
Bellatoris equi nec gens, aut aspera silua
Pugna latet, quo Seras alant uenatibus aptos,
Hircanosq; modo vitia vt deponere matris,
Si matri uitium est queat emendata propago.
Quaq; ferox nemorum regnator Gratius addit.
Denique non alio celebrat conuiuia luxu,
Quam studiis nec tempus iners delabitur: omnes
Aut populus curas, aut aureus impedit ordo.
Et miramur adhuc virtutē et facta Sabaudæ
Gentis & antiquo radiantia secla metallo,
Cum pateant Caroli mores? non certius alnus
Obuertit facilis proram ad moderamina claui,
Moribus ac regis populus, vitaq; mouetur.
Barbaries docto mala sub ductore placebit?
Sub miti feritas? graue sit parere iubenti
Iustitiæ, cum dux iubeat prior? indè pudicas
Nulla domos maculat stupri nota. lumen honesti
Diligitur, ritus domat exitiabile crimen
Cura piu, non ensis atrox, non carceris horror

Flebilis: ignotos petat vllus ab æquore pisces
Purpureo, volucrumq; extis pinguescet Eois?
Chrisolytis violare cibos, gemmasq; Lyæo
Deturpare ausit peregrino? auidamq; lacesset
Ingluuiem? totusq; notis interlitus auri
Murice Sarrano distinguet vellera luxu
Marcidus Assyrio, fluidusq; liquoribus Indis,
Cum suus indigena Princeps vtatur amictu?
Sidoniosq; domo pellat, mensisq; paratus?
Ilia cui tendat ventosa superbia, ciuem
Cum modicum dux lenis agat? nũ dextra potẽtis
Sæuiat in miseros diuesq; insultet egenis,
Cum pia rectoris clementia leniat vltrò
Alloquiis, leuet auxiliis curetq; paterno
Affectu? furiant diri crudele Nerones,
Inuideant claris, virtutem frangere tentent;
Officiis certet Carolus cum plebe, patremq;
Rectoremq; gerens amet, ut deprændit amari.
Diiq; Deæq; oẽs, quibus hæc ab origine virtus
Ducta nitet, seu vos terris, seu fluctibus altis
(Aëtherea nec enim dubiũ est, regnatis in aula
Sceptra immortali meriti felicia dextra)
Iura datis. vestro pia figite lumina regno,
Et similem stirpi faciles agnoscite germen.
Mune-


Muneribus longè voto maioribus omni
Augemur; fuerat pietas optata, potimur
En alacres pietate, fide, virtute paternas
Iam galeas implet, lorica effulget auita,
Crispatur valido iam nunc hastile lacerto
Depopulaturum diras hastile Gebennas.
Iam trepidāt extremæ Alpes. Caluinus inhorret,
Cerbereamq́; timent nè perdant Tartara prolē,
Et furtìm miseris infundunt mentibus vmbras:
Nè Cœleste iubar, nè veri lumina cernant.
Ah pecus infelix, imi ludibria Ditis,
Vela quid insano iuuat obtendiße furori
Nequicquam vltricis posita formidine pœnæ?
Impia corporeis mandastis semina campis,
Meßis erit tandem magno nec iniqua labori
Flebile, quod solum legitur de corpore, lethum,
Suppliciumq́; informe: venit, venit, auguror, ætas,
Cum fera sacrilegæ libeat contagia sectæ
Effugere, & pœnas non euitabilis iræ
Nec dabitur. Sigorisq; instar, Phariiq; tyranni
Exemplum terris æternum, ac nobile, centum
Ibitis in mortes. ât Carolus alite dextro
Mundabit diro polluta sacraria ritu,
Et recidiua Pari de marmore tollet in auras

Vltori delubra Deo, lateq; fugabit
Eumenidum Alpino victor sacra agmina coelo
Ciuibus implendam tradens melioribus vrbem.

Ad Augustinum Buccium.

VNde flagrãt subito praecordia mota calore?
Vnde repentinus viscera torret Amor?
An resides iterùm praedata est Ilia sensus,
Et vetus in molli pectore vulnus hiat?
Nec leue vuln⁹ hiat, nec flãma extincta reluxit.
Nec Venus iniectas ventilat vlla faces.
Phoebus agit, Phoebus domito sub pectore regnãs
Suggerit, accendat quas Elegia faces.
Hoc erat alme pater, tripodes quod saepe solebant
Edere & arcanis infremere vsque sonis?
E luctu (vix danda fides) concepimus ignem
Margaritae obitus semen amoris erat.
Arma canant alii, saeuosq; Cupidinis arcus,
Et timida iratae praeda trahantur herae.
Nos veneranda tuae moueat facundia Musae,
Nos Bucci linguae copia, visq; tuae.
Vt valido per te surgens Elegia volatu
Celsior assueto nobile vincat opus.

Vt sacra Melpomene submittat sceptra sorori,
Cui modo cura leuis luctus, amorq; fuit.
Vt te suspiciat Phœbi omnis turba, tuisq;
Acceptum referat viribus esse potens.
Vt tua præcipuè nostros Polihymnia sensus
Abstulit, & luctu tela tegebat Amor.
Musa, quid ignotos libet insanire furores?
Arsit Pirithous Thesea, notus erat.
Dilexit magnum iuuenis Phocæus Orestem,
Haud tamen ambiguam norat vterq; fidē.
Nō nota hunc facies non ambitus excitat ignē.
Iniicit has virtus suspicienda faces.
Scilicet hunc cunctis natura inseuit amorem,
Imbuit hoc animos illa liquore rudes.
Meoniden altum, nec viderat, Argos amauit,
Et ciuem optauit dicere posse suum. (ces?
Quid Colophon, & Ios Salaminq;, & Cecropis ar
No voto arserunt Smyrna, Rhodosq; pari?
Nonné sui seruant Peligni vatis honores?
Mantua Virgilium, nec benè vidit, amat.
Ardua ciuiles veneratur Corduba pugnas,
Bilbilis argutos diligit alta sales.
Si mouet has virtus post tristia funera flāmas,
Quas moueat præsens, excutiatq; faces?



Ad Ioannem Franciſcum Apoſtolum.

QVod lucē noſtris hortaris Apoſtole Muſis,
Exemploq; doces tendere in alta tuo.
Hoc facis eximio noſtri ſuccenſus amore,
Sed magis hoc metuo, quò magis inſtat (AMOR.
Ille quidem puer eſt, & lumine captus vtroque,
Nec ſinit obtutu vera patere ſuo.
Diſpliceat quæ forte aliis Cephëia Perſeum,
Virgo ſuæ patriæ fuſca colore, rapit.
Cum pernix abitura ſuos commendat alumnos
Cura tibi, Bufo, ſit melioris, ait.
Quosq; ornat ſpecies formoſior educa, at illi
Aſſimilis toto corpore partus erat.
Promiſit, ſecura parens abit, vtq; reuerſa eſt,
Aſpicit enectum ſemen inane fame.
Dū queritur, tua, Bufo refert præſcripta querare.
Seruaui iuſſu pignora noſtra tuo.
Nec peccare tuum ſic credere Apoſtole fas eſt
Iudicium, votis blandiar ipſe tuis.
Nec Balbus, Cirnusq; ſuis, nec terret iniquus
Zoilus inſidiis, nec tua Barte fides.

Vſque

Vsque fremant, vsq; auxilium sibi debile vulgi
Concilient rabidis nocte, dieq; minis.
Non ideo crimen noster laudarit Apollo,
Desistet cœptis non ideò ille suis.
Arbitrium subiit Pæan, subière Camœnæ,
Teq; ducem causæ præposuêre suæ,
Vt caneres victo diuersum ex hoste trophæum
Cum duce, cum Musis signifer ipse tuis.
Fallimur? an Steropen, Bronteq; immania lassât
Corpora iam currus, lauriger alte, tui?
Ibis in auratis Phœbo comitante quadrigis
Aureus, & lauri fronde premente comas.
Hinc venient reges, illinc Heroes, & illinc
Omnis io gaudens terra triumphe canet.
Antè tuos ibunt inimica examina currus
Latè adamantæo pondere pressa manus.
Balbulus, & Balbus, Cirniq; binominis vmbra,
Quique solet rostro pertere brare nuces.
Præmia, vimq; suam lacero feret ore Pyreneus,
Lausq; suæ Picis garrulitatis erit.
Vltrices Satyrus fœdauit cæde Celænas,
Aoniam Python sanguine tinget humum.
Arduus Hipponax tecum soceriq; cruore
Oblitus Archilochus carmina ritè canent.

Hic dabit in laqueos hoſtilia guttura dignos,
Ille premet pœnis gaudia ſtulta ſuis.
Cum Phœbo talis populi ſit in ore triumphus,
Horrebo furias num Zauenole tuas?
Horrebo num Barte tuæ retinacula linguæ,
Et quod nè videat lumina lumen hebet?
Dii melius, vanum quam tela Typhoëa regem
Elidis horreſcant vindice cincta rogo.
Expers ergò metus tibi noſter, Apoſtole, morem
Sponte geret Pæan, ſpontè Camæna geret.
Si vigeam placeamq; tibi ſit gloria, crimen
Beltrano nec ſit, nec ſua Muſa decus.

In Muſarum Calumniatores.

HAereditatis, Phœbe, cur ſortem tua
Furor laceßit inuidus?
Inſurgit vltrò prouocatq; te Midas,
Nec ſe Celænæ continent:
Inſtat ſuperba Tantalis ferocia,
Chriſtas Gygantes erigunt,
Telluris in te monſtra, monſtra fulmine
Adacta ad vmbras lurido.

Pro-

Profana latè contumax superbia
Miscere sacris nititur.
Incestat error barbarus Parnasia
Ritu nefando culmina.
Ducum tenebris facta tot silentibus
Conatur alta inuoluere.
Palàmq; voce comminatur improba
Sacris ruinam fontibus.
Incessit Almo stultus indè Principem,
Irasq; iustas elicit.
Dum fraudulentæ gestit in Pingonium
Linguæ mouere spicula.
Delator in me clanculùm conuitiis,
Dolisq; frendet impiis.
Ruberq; crine Zoilus calumnias
Comes proteruas despuit:
Suisq; pendet moribus: Britannicum
Cor bella spirat effera,
Coràm redandat ore nectar subdolo,
Lactisq; riui profluunt.
O lingua fraudis artifex qua spe mihi
Vim machinaris anxiam?
Sis virulentò felle pestilentior
Tincta Tomitæ arundine.

Sis Aetnæ edacis impetu voracior,
Aestu Vesæui sæuior:
Retorqueatur ictus, in tuum caput
Tuæ sagittæ sæuiant.
Sed maior instat hostis, & præsentius
Vrget Deas periculum.
Vltrice fulmen horridum, ni deserat
Ausus, vibretur dextera.

In Apostolomastiges ad Nicolaum Ferrerium Senat. & Musas.

VBi proteruæ pectus insolentiæ
Vindex Camænæ? Pieri
Pœnas caterua pendit aquas garrula,
Tulit Pyreneus præmium.
Et qui Typhæum contrà, & ingentem Mimas
Stetit, sagittis obruit
Pythona centum, fertur ad subsellium
Reus seuerum iudicis?
Quò vsque tandem numini vestro ferox
Illudet ardor hostium?

Quò

Quò vsque vates impudens proteruitas
Exasperabit iurgiis?
Quod se refrænat Musa, tendunt ilia
Ventosa forsàn spiritus:
Hostiq; vano pectus inflat gaudium
Immane motu. at debuit
Fugax mouere Tantali vnda, debuit
Certè Lycaon tangere.
Vindicta quò se tardiùs fert, asperæ
Plagæ sedebunt altiùs.
Moram rependit impotens Rhamnusia
Atrocitate vulnerum.
Exultat atrox turba frænis libera,
Quam reprimebat Tartarus:
Tumultuosis multiformen Zoilis
Pœnam vt Megæra præparet.
Lux, Nicolae gentis ô Ferreriæ,
Quo Musa gaudet vindice,
Suæq; Phœbus arbitrum innocentiæ
Iustis legit suffragiis.
Maculosa solue criminum mendacia,
Fictasq; sordes elue.
Opinionum fœda toxico probrum
Caterua comminiscitur.

Exogitatus hosticum vocabulis
Mordere fertur pagina
Pectus: nefandi facta quod Salmonei,
Cæiq; fratres arguat.
Maioribusq; abominata Sisiphi,
Abominanda posteris.
Assumit hostis ausa: vult Ixionis
Demens rotas & Zoili
Dum nomen horret acre, re fit Zoilus,
Re fit Typhœus. quid mouet
Cordis latebras abditi retexere,
Famæ & sinistræ tradere?
An quod patraris seculo nullo, nefas
Refers tibi, quò sæuias?
Sic Martialis ira te momorderat,
Nec Martialem reprimis.
Da scripta flammis inuidus Homerica,
Te prouocauit Zoile.
Satis, superq; probra cum remouerit
Suspecta prima pagina.
Adhuc furore sæuit actus impio
Quisquam? sed ardor forsitan
Rumore creuit liuido quondam. modò
Quid obstinata iurgiis,

Sæua

Sæuaq́; spumat fraude contumacia
Ritu ferocis belluæ?
Quid veritatis obruit mendacio
Iubar? sit error hactenus.
Errare nec Platona mirum at impiis
Se mancipare erroribus.
Iam tempus inuolucra demit, & virent
Laurus inanes criminis.
Sic iudicabat Montius, sic Scotia,
Sic Mantuana Purpura.
Causam tuetur optimam Ferrerius
Templi sacerdos Delphici.
Nox cæca vestri pectoris luce est ei
Meridiana clarior.
Quem, si fugata soluat auream mora,
Ceu debet innocentiam,
Inter Laconum iure noster sidera
Locabit alta barbitos.

De nuptijs Alfonsi Bezerræ, & Lucretiæ Xuxaris.

CEsserat è gelido Rhodopëius arbiter El.
Impia discordi cogens in prælia gentes
Ire

Ire manu , quaſcunque feros conuertit in oras
Biſtoniæ fumant flammæ, tonitruſq; tremendi ,
Et labefactura ferrato pondere glandes
Mœnia, & ingentis fruſtrà munimina valli
Turbatū per inane volant. operitur & armis ,
Et galeis ardens, multoq; cadauere tellus.
Sanguine mutantur fontes, & ſtagna redundant
Cædibus, impediunt vndarum funera curſus.
Vixq; pererrato diſcordia mouerat orbi
Arma: furor miſeris Belgarum conſtitit oris.
Hîc diu bella fremūt populātq; incēdia rura,
Et domito ſæuit victrix Hiſpania campo.
Arma inter, forteſq; duces virtutis abeſſe
Neſcio quid ſentit, perſcrutaturq; phalanges.
Sic erat, Heſperiis aberat BeZerrius Heros
A caſtris ſoboles Caroli generoſa Philippus
Miſerat Inſubriam. fœcunda Nouaria talem
Obtinuit, meruitq; ducem. quis robore forti
Suſtineat , decoretq; (refert) quas fecimus artes?
Vnde dolos pugnæ , belliq; pericula diſcet
Tyro rudis pro laude pati? quis mœnia pulſu
Semiruta horrendo doceat conſcendere, & arma
Per latebras, & operta ſoli trāſmittere in vrbes,
Aſcenſu ſuperare arces, præruptaq; ſaltu,

Pla-

Planitiem cursu, celeri transire natatu
Torrentum furias, absit BeZerria proles?
Ah quantum studiis sors detrahit inuida nostris
Hoc mihi detracto non detrahet & mihi priscũ
Aut cadet officium ferriq; animosa potestas,
Aut BeZerra nouus viridi spectabitur auo.
Descendam (si fata vetent) armatus in vmbras
Tartareas, patruumq; ferum, durasq; sorores
In mea vota traham socerine expellere Phasis
Effœtos potuit Circeis artibus annos,
Informesq; situs nitida mutare iuuenta?
Et mihi ter Fabios, armorum fulmina, centum,
Scipiadasq; vrbis duo propugnacula nostra,
Pompeiumq; meum, Torquataq; nomina, totq;
Heroes veteris, nostri tot sustulit aui
Atra dies, tantasq; domos nigro intulit Orco
Incisa radice semel. post secula virtus
Par iuuenta mihi est: quæ, si non inuida magnis
Fatorum series ferri sublimè negaret,
Antiquæ potuit tenebras offundere laudi,
Proxima Diis virtus. sed & imperiosa senectus
Inuidet, & nostris iã nũc quoq; subtrahit armis
Inuitum: capiant certè solatia mentem,
Si rude donari, Veneris si gaudia curet

Legitimæ; quæ virtutes animumq; paternum
Transferat in dulces æquali examine natos.
Thedam odit crimen velut exitiale iugalem,
Et sociam viduo non vult admittere lecto.
Scilicet Ismarium Regem, belliq; potentem
Fregit Amor Martem, ferroq; simillima mollit
Corda suo. nec consortem nostræ audeat artis
Sub iuga, cum nullus fugiat, paris addere sortis?
Dixit, & indigena currus Aquilone retorsit
Ocyùs, & missis Cyclopum ex æthere flammis,
Donec in insignes Phœbeis luctibus vndas
Peruenit Eridani: quà flentum lumina fratrem
Heliadum tenuis texit liber, vstaq; flumen
Tempora populeo mœrens obduxit honore.
Deliciis vbi capta loci fortè aurea coniux
Aëris insanos vitabat frondibus æstus.
Pennati circùm pueri pars pendula ramis
Rimatur volucrum secreta cubilia, partim
Rustica flammatis incendunt numina telis:
Spicula pars acuit, iaculis pars admouet ignem,
Qui gelidum in mediis Tritonem torreat vndis;
Ille veneniféro felle imbuit, ille sagittas
Melle replet vero pars maxima tingit vtroque.
Regē onerāt domitura Deos, summūq; Deorū

Pila

Pila Patrem claros huic ius flammare Tyrãnos,
Magnaq; lasciuis submittere nomina regnis.
Vix Geticũ sensêre Ducẽ, nullo ordine fratrũ
Cum picturatis exercitus aduolat alis
Incendit matrem notoq; repercutit auro,
Threiciumq; nouo vitricum petit igne Cupido.
Non fera, non expers placidi fuit arbor amoris.
Alpinus rabiem lupus exuit, exuit iras
Vrsus & exultant in mutua fœdera pisces:
Phœbeas alterna putes suspiria plantas
Edere; fraxineos sentit quoque fraxinus ictus,
Aggemit ulmo ulmus mota orno aßibilat ornus.
Ipsi etiam quamuis furiant è cæde recenti
Quadriiuges uisi insolitum sensiße calorem.
Nec mora desiluit curru, gratosq; maritam
Lædit in amplexus gremioq; refusus amico
Gaudia post, dulcesq; iocos, iterumq; precatur
Atq; iterũ ut iuuenes Alfonsum reddat in annos;
Adiicit & causas, & munere gratius omni
Hoc fore promittit. Dea talibus orsa vicißim
Ora refert, blandisq; interserit oscula dictis.
Inueniam, dilecte uiam, qua uiuida bello
Herois virtus (animis hanc excute curam)
Tot numeris perfecta suis, tot laudibus aucta

Aeterna aeternis innectat secula seclis.
Non procul à nitidis Ticini nobilis vndis
Vrbs leni sublata iugo consurgit, & altas
Aëreo paßim contingit vertice nubes;
Hînc atque hînc placido labũtur murmure riui
Planities fœcunda iacet sub palmite: circum
Prata interpositis arrident molliter alnis.
Vndè legãt tenero pecudes noua gramina morsu,
Vnde metat curuus fœnum brumale colonus,
Quaeq; olera humanas onerent genialia mensas.
Quos agit et venator apros in retia, quosq;
Terrificet dubia penna formidine ceruos
Silua habet, & facilis lepores, animalia praeda.
Hanc, quia purpureo candore salubrior ignis
(Naturae tot dona inter, tot commoda vitae)
Exhilarat, Phœbusq; graues eliminat annos.
In requiem legêre duces, magnaeq; Tyranni
Insubriae: totum fremerent cũ bella per orbem.
Tu quoque in hac mecũ solitus requiescere sede
Depositis fueras armis, vestraeq; labores
Militiae recreare meae certamine pugnae.
Additur insignis Nimphe tot honoribus vrbis:
Inclita quam magno peperit Germania Petro,
Petro, equites, equitũq; duces qui Marte superbo
Terruit

Terruit, Augustis olim comes additus armis.
(Vt taceam Galli clades, Cimbriq; rebellis
Excidium) patriæ nuper tot stragis aceruos
Edidit inferias afflictæ acerrimus vltor.
Cum mare corporibus spissatũ & sanguine dēsat
Hellespontiacas Galatea exhorruit vndas.
Dux Ducis esto socer, & præpetis omine pennæ
(Quando ægris Fortuna ferox mortalibus aufert
Perpetuam annorum seriem, placidumq; tenorē)
Ductoris thalamo natam ductore iugabo
Nec mora connubiis iuuenē qui præsidet almis
Felices efferre faces iubet, aduolat agmen
Lene Deum, quicunque thoris socialibus adsunt:
Intemerata fides: illibatiq; pudoris
Iura rubor, sociusq; timor qui clara tuentur.
Rectus amor castis intendit vincula lectis,
Et Charis æternos segnis dissoluere nodos.
Inducunt (quid multa?) nouos in tecta maritos
Et Venus, & nati. nunquam iocundior illo
Hispanis, Italisué dies illuxit. Amores
Munera dant violas, & lilia cana rosasq;
Et flores Cipriis quos gratia legit in hortis.
Donat Hydaspæas Iuno quoque pronuba gēmas
Carmina festus Hymen sua munera detulit vltro

Quisq; Deûm placido Ven' vltima pectore cæpit,
Salue Thessalidû Virgo pulcherrima, matris
Pulchræ incrementum, cuius me rara coegit
Gloria siderei delubra relinquere cæli,
Idaliasq; domos: vltrà ne sola latebras
Materni patiare laris, neu maximus heros
Tam longùm arcanis aleret fera vulnera venis;
Nè dubita blandis sponsum vincire lacertis,
Osculaq; ignitis affigere mutua labris.
Quod matri pater est, erit hic tibi, pone timorem.
Ductorum soboles, ductori adiungere magnas
Progenie fultura domos, per secula fati
Pondera non minimi, placidumq; datura tenorẽ
Pignoribus. quamuis etenim furor omnia perdat
Hostis atrox, & parte ferox sors intonet omni,
Nõ ducis, aut equitis titulos tamẽ auferat aureos.
Fac te non alto meruiße hanc sanguine thedam,
Frons erat hæc clari dignam factura mariti,
Quæ facies tantum spirat splendoris? honori
Quæ forma indicium generis magis? ardua fertur
No alio matrona Iouis splendescere vultu.
Pæstanis meliora rosis labra ignibus ardent,
Et dura superant auulsa corallia caute.
Vincit Erythræos oculorum flamma Smaragdos,

Colla niuem, dẽs albus ebur. coma despicit aurũ.
Vt taceam quo se discrimine linea iungit
Pulchra supercilii, clarat quam mista decorem
Temperies: nec enim nimius rubor inficit ora,
Nec candor flammis eget auxiliaribus, æqua
Sanguis lance rubet. totos lepor induit artus.
Desine iã priscas Erato mihi tollere formas
Materiam maioris habes in carmina famæ.
Omne genus laudis generosa Lucretia vincit,
Seu patrios quæris titulos, seu coniugis actus,
Seu decora alta mouẽt animi, seu gloria frontis.
An né parem Sparte? similes an Agenoris vrbes
Viderunt? licet illa Iouem magnum egerit inter
Sidonias mugire boues, conuerterit illa
Mille rates miseræ delenda ad menia Troiæ,
Non tamen huic ausit sese conferre decori.
Dixit & insignes, operosi dona mariti,
Obtulit ornatus, gemmas, auroq; monile
Bacchatũ, & geminis onus auribus aurea signa,
Sertaq; nexilibus crines vinctura lapillis,
Et quam Palladiæ posses contendere dextræ
Murice distinctam Tyrio, signisq; rigentem
Pallam. spirat opus diuinæ nobile telæ.
In medio diuæ micat, atque Herois imago,

Iures velle loqui (tantum decus additur arti)
Inq; vicem collo circum dare brachia, & vltrò
Oscula flammatis adnectere blanda labellis,
Mox sobolem gremio videas hærere paterno,
Parwaq; dilecta contendere brachia matri,
Paulatim numerisq; suis se tollere, iamq;
Spumantes conscendere equos, exposcere Martē
Fulmineum fratres, patrumq; simillima, auûmq;
Pectora sanguineo latè insudare labori.
Aeacidûm extremas longo ordine circuit oras
Hinc series, illinc titulis Hispania mistis:
Quam variat flexu Durius popularis amano.
Argentum canos mentitur ductile fluctus,
Sericaq; intexto circumuiret alnus in auro.
Rem facies sua quamque notat. cognoscere vero
Est illic vultus, actus, loca, tempus honores.
Vt Cytherēa sui docuit miracula doni,
Ipsa thorum sternit. flammasq; ardētibus addit.
Oscula crebra sonant, duri fera claßica belli
In dulces abiêre sonos, & amabile murmur.
Denique felici ducta per gaudia nocte,
Nexuit æterno geminos adamante maritos
Cypris, & Idalio victrix se reddidit orbi.

Ad Stephanum Ruffam.

Dicebas fuge virgineæ te credere turmæ,
Quo valeāt animos perdere fulmē habēt.
Mille obitus iuuenum discrimina mille docebas,
Ruffa, puellarum crimina, mille dolos.
Obruit ora salum frustra clamantia nomen
Herûs, Cestos adhùc flet, flet Abydos adhùc.
Vmbra Tomitanis miseri Nasonis in oris
Errat. in interitum pellit iniquus Amor.
Dū miseram Thisbē Babylonius ardet è phœbus,
Vsus uterque sua deserit astra manu.
Seu tibi fœmineos amor est eludere fastus,
Et simulant veras callida corda faces.
Hei mihi non tutum est catulos tentare leana.
Tutius Hircanè tradere ouile feræ est.
Amisit sobolem, colubro dum credit, agrestis.
Pectora tu colubro callidiora petes?
Iphis Anaxareten, dum fallere tentat, amantes
Illisamq; fera fregit in æde gulam.
Cur spargit ceruice iubam Saturnus equina?
Qua modò ludibrio mebra fuère placent.

Est.

Erigone, qui se modò riserat, egit in uuam,
Dū Semelen tentat Iuppiter, urget Amor.
Ille Inferna domat (quis crederet?) agmina: plu-
Saucius obscuris æthera læsit equis. (tō
Phœbus Acidalio passus graue uulnus ab arcu
Submittit Ciprio Pythia tella Deo.
Nec Ioue callidior tibi uis, nec Apolline maior,
Dite nec asperior mens adamanta gerit.
Seu te verus Amor torret, non te improba Prœti,
Non mouet Aemonii perfida nupta ducis?
Belides arma feræ fraterno sanguine tingunt.
Impulit Oecliden sub Stygis vxor humū.
Troica quem bello non perdidit hasta bilustri,
Perdidit infanda coniugis ira manu.
Hæc, & plura monens, vt amicū Ruffa decebat,
Visus eras magicas applicuisse manus.
Si magicæ vis attis erat, non callida mentes
Vertere cœlesti Calliopea sono.
Ah quoties altum uicto sub corde dolorem
Pressimus! cū domina cū procul ire mones.
Et monitis parebam amens (scis ipse) negabant
Ire indulgebant menti, animoq; pedes.
Quod decoris quod lucis erat (prò nescia veri
Mes hominū!) magna te duce in urbe patet.
Nec

Nec decus hoc vertit pectus, nec lumen in urbe
Ingemis heu, nostrā nūc quoq;, Ruffa fidē.
Purpureos nitidæ leuis Elia frontis honores
Explicet, & mediis Nerea adurat aquis
Gratia flammiferis Astreæ affusa labellis
Laudatur meritò, non mouet illa tamen.
Flos illibatus niuei Panalida pudoris
Arridet meritò, non mouet illa tamen.
Virgineam melius nec fas ostendere laudem,
Aspice virgiliam; non mouet illa tamen.
Vna rapit mentem Aetneis Corialia flammis,
Vltimus illa mihi, si dabit, ignis erit.
Nec reor Idaliam scopulis horrescere formam.
Ruffa doles? animum torret an illa tuum?
Sic erat vna duos incenderat, aut ego fallor,
Prò dolor! una duos fax, eademq; rapit.
Conquerar? an tacita faciam mihi iurgia mētē?
Conquerar: est omnis nomē, & umbra fides.
Naso magister erat, cum quærebamus amorem,
Nūc quoq; (me miserū) Naso legēdus erat.
Cognatum caui, caui pia pectora fratrum.
Si fugerem fidum Thesea, tutus eram.
Sed furio, nec Ruffa meos meditatur amores,
Gloria nec cœpto, si meditetur, erit.

Inuu-

Innumeris intacta procis tot restitit annis,
Per mare per terras Graia vagante viro.
Nec tibi Graia fides, Corialia. tu quoque, silex
Ruffa sodalitii te mouet ulla, caue.
Dum gemit abducta Briseide magnus Achilles,
Hectoris obruerat Thessala castra manus.
Impulit Aegiden violati vana cubilis
Suspicio sobolem dilacerare suam.
Nec sum Pelide, nec Theseo maior, & iram
Franem, te nostros sollicitante Deos?
Archilochum rabies ereptæ coniugis armat,
Vindictam fidei fœdera rupta petunt.
In reliquis nodum firmi seruemus amoris.
Velle duobus idem, nolle duobus erit.
Hoc modò velle mihi, tibi nolle resumere fas sit.
Diuide ad arbitrium cætera Ruffa tuum.

Explicit liber Primus.

MIC.

MICHAELIS GASPARIS BELTRANI LVSITANI

SILVARVM LIB. II.

In Laudes Bernardini Sabaudici Rac. &c. dñi Panegiris.



Dmiſtam tellurem vndis emolliit audax
Iapetionides, diuûmq; ſimillima finxit
E rubro ſimulacra luto, Tritonia mirum
Ingenii laudauit opus, fœcundaq; rerum
Pectora ſideribus pictum ſuper extulit orbem.
Lactea tunc primum mortalibus orbita plantis
Calcata eſt, flãmiſq; ſolũ cœleſtibus ardens.
Detulit in terras author memorabilis ignes
Aeternos, miſcetq; luto ſpirauit imago,
Et ſubitus per membra calor, uenaſq; cucurrit
San-

Sanguis, & humẽtes iuuenis uigor alleuat artus.
Non aliter Paphio conceßa numine uita
Pygmalionis ebur cœpit mollescere, & altas
Artificis sentire manus & blanda mariti
Oscula paulatim preßis dignoscere labris.
Cum mihi fulgenti statuas effingere in auro,
Pegaseo sed fonte manus quod Cynthia nulli
Deligit infausti subiectum sideris astro,
Victuroq; animam sit cura afflare metallo:
Non studeam claro stellas miscere labori,
Bernardine, tuas? tot morum lumina? tantas
Egregii dotes animi? nec fortior ignis
Ad vitam, spoliem totis Hyperiona flammis,
Cœlestesq; faces, viuunt quibus omnia, raptem.
Adde, quod inuidiæ rabies non instat, & ultrò
Promittit generosa tuæ clementia mentis
Astrum operi vitale meo æternosq; futuri
Temporis applausus obscœnæ prædæ uolucri
Caucaseo infelix opifex è vertice pendens
Pertulit ingenii miro pro munere pœnas.
Vos quoque Calliope vati concedite vires
Mæonias, & iura tubæ, quæ triste Typhœo
Inarimes imponit onus, centumq; superbos
Cladibus affligit, quos horruit æthra gygantes.
Nunquam

Nunquam maius opus vestris innotuit antris.
Seu pacis leges capiunt. & munera; seu vos
Insomnes aulæ curæ, aßiduiq; labores,
Seu sudata mouent animosæ bella iuuentæ.
Cum stygio insurgens Caluinus carcere rursus
Siluestres animos & rustica pectora mouit
In dominum, cæci metuenda pericula Martis.
Arma laboranti seu prospectura Cherusco
Cum tulit, & Scythicas exterruit ense phalãges
Fulmineo. dignos igitur iam aptate cothurnos,
Et par materiæ faciles infundite numen.
Ornat Achemeniis Parthorum cura lapillis
Regales iunctura sinus, & pectora morsu
Cingula gemmanti; signis auroq; rigenti
Viuit opus Phœbumq; Indo fulgore laceßit.
Asperat ingentis peplum Iunonis Hydaspes
Tempestate sua. dat pondera diuitis vndæ
Pactolus. lapides ignescunt murice, murex
Auro intertexto: sed longe Mulciber arte
Materiæ superauit onus, clarumq; parentis
Coniugium expreßit. tradit Natura sororem
Ipsa Ioui, thalamoq; Deos componit eodem
Pronuba. canicies argento albescit, Iaspis
In vultum surgit. Berilli flamma labellis

Misce-

Miscetur. Iouis est facies regalis, eburna
Sceptra gerit dextra, cingit diademate crines.
Virginitas matura tumet Iunonis in ostro.
Chrisolytus vestes, Nereia bacca monile
Irradiat solido spirant in stamine gemmæ.
Sic patriam virtutis opes, & lumen adornãt,
Ardentumq́; instar flammarũm obliuia pelluut,
Nec lethum sentire sinunt, nec nubila sortis
Humanæ similes superis è vertice mundi
Fata triumphata renouant felicia morte
Heroes Larißa suos commendat Achilles,
Alcidas Thebe. Dianæ inuisa ferocem,
Quẽ laudet, Meleagron habet Calydonia Nais.
Fortunæ maiorem omni præponit Vlyssem
Dulichius Græcis, Pylos altum Nestora. tandem
Roma suos tollit, nec gens ambitur ab axe
Astrigero, seu solis iter subiecta frequentat,
Deuia seu cursus astrorum nescit, & anni
Certa recurrentis toties latet orbita, diuos
Quæ non indigetes habeat. quæ munera virtus
Donat: ut extincti vigeant in secula patres,
Sordida clarescant splendor super æthera tẽdens
Nõ hominũ affectet, sed diuûm apprẽdat honores.
Eridani studeant gentes, & sceptra decores,

Bernardine tuos agnata referre, genusq;
Promptiùs ex ima penitus radice reuulsas
Apennine, tuis imponent rupibus Alpes.
Si tamen hoc sudare decus, teq; ire per omnem
Cogat amor laudum: liceat maiora relinquant,
Non patriæ nomen septenæ eflagitet vrbis
Pugna tuæ; sint mille vno hoc de nomine lites.
Fama Subalpini repetat te principis, unde
Et genus, & titulos ducis. te clarus Achiuûm
Poscat honor, soliumq; patrum regale tuorum
Quæ mæsta ostendit, desideret alta Corinthus,
Innumeræq; vrbes bimaris quas continet Isthmos.
Ionium, Aegæumq; petat, patriusq; Palæmon
Gaudeat, vt quondã famulos submittere fluctus.
Approperet Ciprus sacros diademate crines
Cingere, maiorum quondam frænata tuorum
Imperio. nec sit regio, nec deuius vsquam
Angulus ingentes, qui non suspiret honores.
Et meritò, nam si rerum ferar ordine, calet
Emathis Aeacidas, sileant Amphionis arces
Patris inauditos partus, & flammea matris
Vota, necem miseram mox allatura petenti.
Argolis Alcmene, quæ nunc victore superbit,
Dissimulet natum. talem te protinus ætas,

Bernardine, rudis formauit, vt inclyta lumen
Virtutis Natura suæ, certū́q; decori
Exemplum nostri populis delegerit aui.
Horrida non iusti Carolum violentia Martis
Eridani expulerat sceptris, Rhodaniq; verendū
Certabat fortuna nocens transferre tiaram.
Garrula iustitium fora prodigiale premebat,
Vis indignantes tenuit, non iura Curules.
Curia non patribus, Stygiis sed squallida mōstris
Paßa peregrino ferri lictore secures
Merserat allobroges una, Celtasq; ruina.
Talia Tartareis excita è sedibus una
Dirarum in geminas fundebat toxica gentes.
Cum Padus ambustos uix ausus tollere vultus
Gurgite, populeam uidit reuirescere siluam,
(Auspicium solenne tui natalis, honorq;)
Et nitidis electra comis manare, notabant
Purpureo pallore solum violaria, partim
Lumine pingebant nigro vaccinia, partim
Lutheus ornabat caltæ color arua Cruorq;
Oebalius, gemitusq; micat nota. murice pingunt
Prata rosæ. non sic Tyrio bis lauta veneno
Medica luxuriat signis, & Iaspide lana.
Talia non cauda Iunonius explicat ales
Sidera

Sidera, non arcu latè variante colores
Tot trahit aduerso Thaumătias humida Phœbo
Cum vaga nimbosas interuiret orbita nubes.
Vidit & insolitos concepit mente calores
Attonita, & venit tandem felicior, inquit,
Tempestas cedet iam Martia cedet Enyo.
Efferus in falces curuabitur ensis, & uno
Vinciet allobrogi Celtam pax aurea nexu.
Dixerat, & cœlo; rerum cui summa, sereno
Intonuit .uix natus eras, descendit ab astris
Virtutum chorus omnis, & alto in pectore sedit.
Purpureo quoties gremio te regia mater,
Aut nutrix fouit, pendensq; ab vtraq; verendo
Murmure caniciem mentis, risuq; retexti
Nil puerile sonans, agitans nil vile, Philippus,
Hic Carolo, Philiberte, tuo datur, inquit, Achates
Talia fatidico genitor sermone locutus
Sanguinis eximio lætus tumet incremento.
Insolitos pueri sensit mox orbis honores,
Maturumq; animum. non ocyùs æthera preßis
Anguibus Alcides cuna monstrauit in ipsa.
Sic Hyperionio surgens è semine Titan
Thethyos excipitur gremio, nondū ignibus ardēs,
Sed leni fulgore comas innexus, & auro

Splendidus humanis promisit lumina rebus
Sideream tenero diffundens lampada risu.
Nec mora succedit fractis hostilibus armis
Gradiuus pulchro madidus sudore, comasq;
Casside terrificas nexus. quæ brachia reges
Horruerant paruis suspensus ad oscula palmis
Amplexaris ouans, non ferri tristia lædunt
Fulgura, non acies, galeis iuuat ora reclusis
Inserere, & teneris hastam vincire lacertis.
Inde Dei suetus clypeos, & Palladis arma
Intrepida tractare manu immunisq; pericli
Tangere secura clementem Gorgona dextra.
Hinc bibere ingentes animos, atque æmula cælo
Pectora, militiæ penetrare arcana, dolosq;.
Armatos ductare globos, & ferrea Martis
Agmina diuersæ componere legibus artis.
Iamq; fatigatas bellis, & cladibus Alpes
Omnibus afflictas diro subducere Marti
Emanuel studet, & ferri traducere nimbos
Gallorum in fines. teneri vigor impedit æui
Nempè sequi sequeris uotis & præpete diui
Signa tua. volitat faustis victoria pennis
Armisonæ optatum finem impositura procellæ.
Arua Sabaudiacis hostilia mæsta trophæis
Aeu

Tā memorant, captosq́; duces, Lygerimq́; minorē,
Ornatumq́; nouis Philibertum insignibus, arma
Arbitrio pacemq́; suo meliore iubentem
Alite certa fides subitò, verumq́; refulsit.
Protinus è summis veniens Concordia regnis
Pristina iocunda firmauit fœdera pace,
Et penè extinctos populi reuocauit amores. (ret
Quis thalamos, Philiberte, tuos, et gaudia nar
Orbis? in Alpinos leges Astræa recessus
Rettulit, infandum posuit Bellona flagellum,
Tartareos oblita dolos. sibi reddita gaudet
Curia, cognoscitq́; suas Augusta secures.
Regia legitimo dependet purpura ritu.
Venit ad hæredem sceptrum, patriusq́; tiaras
Tempora honorato cingit, quæ debuit, auro.
Non aliter virides saltus, & mollia quondam
Pascua qui fugit taurus cum robora duris
Iam sentit diffusa thoris reducemq́; vigorem,
Terferit insultans pede terrā, & cornibus auras,
Atque omni ualidas explorat in arbore uires,
Tunc redit, & totis expellit saltibus hostem,
Applaudunt tota domino per confraga siluæ,
Et toruo gaudet pecus admugire marito.
Ille armenta regit sublimior, ardua fulgent

Cornua, dependet alto palearia mento
Dura superbifico ferientia verbere crura.
Si conferre licet superis mortalia rebus,
Phlægra Gygãtæo tincta est ubi sanguine, uictor
Defensi stetit arce poli sic Iuppiter, omne
Extollit posita numen formidine regem.
Ille triumphali vectus per inania curru
Diuidit exuias, & iura micantibus astris.
Imponitq; solo leges tunc munera diuis,
Tunc laudes conferre uacat: diffundere nectar,
Et curas releuare mero, deducere ludo
Tempus, & insolitis iuuat indulgere choreis
Immistos plebi superos. cœliq; labores
Innumeros vna compensat adorea lauro.
Non Stygio desueta dolo feralis Enyo
Otia constituit turbare recentia bello
(Sæuum) intestino, furtimq; incendere gentes
Cerberea infectas rabie, virusq; profani
Caluini expertas tentat; furiale Gebennæ
Consilium rapiunt auidæ. nec tristis Erinnis
In tanto rerum cessabat cardine, parte
Ferrum alia mouet & seruilia concutit arma.
Inque Subalpinas fauces immittit, & vrbes,
Et valles LuZerna tuas nigro inficit hidro.

Non tulit Emanuel & iusta concitus ira
Signa mouet properè, proceresq; in prælia misit
Sollicitus lectos ades & iuuenilibus armis
Ingentes populiq; iuuas, aulæq; labores.
Non secus Ismarium torquens hastile iuuentam
Fortem exercebat per dura, per aspera Mauors,
Nunc caua transiliens saltu, nũc montis anheles
Impiger ascendens apices, abruptaq; saxa:
Torrentumq; minas vincens, & spumea crebris
Flumina vorticibus, donec ductare phalanges
Dignus. & armiferis urbes inuoluere nimbis.
Hæc superi quoque bella tui, virtusq; repressit,
Consiliumq; ducis Cirrhæo æquale tonanti.
Siluestres cecidêre minæ, gentesq; rebelles
Seruitii patiuntur onus, legesq; paternas
Accipiunt. piguit uanos mouisse tumultus.
Vos quoq; suppliciũ premeret, uindictaq; latè
Vulnere sæuiret digno bacchata, Gebennæ.
Ni iustus scelerum uindex seruasset in iras,
Et Sigoris similes animos damnasset in atras
Pœnarum formas, imo quascunque barathro
Alecto exercet, Dictæaq; repperit vrna.
Rursus ab Aurora Turcarum in prælia turmas
Mars agit, & gelidas affligit cladibus Arctos,

Infrendet domitus rostris stridentibus Ister;
Rura flagrant, ardent urbes nec cincta profundis
Menia, fluminibus poßunt auertere flammas,
Barbaricos Albis perfert utrinque furores.
Cæsar ab Occiduis petit auxiliaria regnis
Arma. venit cetris melior bellator Iberus
Iam positis. furtìm Gallus succurrere tentat
Gæsorum oblitus veterum. fluit Itala pubes,
Aeraq; pro forti furians caua sulfure pilo
Hispanas sectatur opes. ancilia Roma
No meminit, dominamq; togam. velamine mũdi
O pudor! aptat ouans, no Roma, at inutile Roma
Signum hæc tẽpus edax nõ uertit regna, nefãdus
Ardor adulteriis odiisq; superbia flammas
Adiiciens vertit. quis totum credere poßit
Ex ista leges orbem petiisse ruina?
Si tamen humanam rem fas decurrere acuto
Lumine, iacturam cœli indulgentia lucro
Vberiore leuat, geminum quæ perdidit axem
Sceptrum excussa manu periturũ, et legibus auſ
Tandem absumendum, nulli superabile seclo
Protulit imperium superas sublimis in arces.
Cunctaris Philiberte diù, dubiusq; periclo
Constanti varia curris per singula cura.

Nec

Nec cui des, liquidum satis est, ductare tuorum
Auxilium, curasq; tuas rem poscere sentis.
Improbat inceptum generosa Sabaudia. seq;
Ostendit confessa Deam: non crinibus vstis,
Vt nuper, sed iam sceptris, armisq; decora,
Regaliq; sinu, lauroq; ornata virenti,
Et cristis galeam, magnumq; affatur alumnum.
Quid rursùs me, sūme virûm, meditare relicta
Bellis quater denis afflictæ, aut amplius annis
Tu patrias leges, laurus tu reddis auitas.
Insurgent in me te discedente Gebennæ,
Infelix Erebi soboles, & toxica fundent,
Forsitan & Celtam moueat furor. aspice circum
Hinc fera latronum cingunt castella, Deumq;
Asperitas exosa uirûm, nostrisq; Cupido
Imperiis inuisa inhians, quot vulnera, quantas
Aspicies rediens clades! si sola relinquor.
Ingenti (fateor) quatitur discrimine mundus.
Est opus, arma dato; nec te res exigit, illa
Bernardinus aget. quem Græco è sanguine regū
Ni ductus decoraret honor, satis vnica virtus,
Et pietas, qua pollet, erat licet acer in armis
Et similis patruo quem per tot lustra fidelem
Expertus comitem quondam es, Marteq; secūdū,

Con

Consilio quantum poßit conferre, fideq;!
Finierat tenuemq; oculos effugit in auram.
Paruit Emanuel iußis, preceptaq; Diuæ
Exequitur, magnumq; Alpinis præficit armis
Bernardinum. egit grates, lætusq; laborum
Ille, mouet Martis creperos latura tumultus
Castra celer. quis promat iter? cui nobile prõptũ
Consilii memorare decus? per dura viarum
Trasmittis non te rupes, non flumina tardant,
Non ferrum, ignotæ non cæca pericula terræ.
Auxilio iam Rhene tumes iam fluctibus exit
Albis; & hostili iuuat insultare timori.
Thermodoontiaca sic victor AmaZone Theseus
Oppressa remeabat ouans Thebasq; nocentes
Prosternens sæuumq; ducem, sua reddidit Argis
Busta. thori socios audent tumulare maritæ:
Et fratrum fratres vetitis imponere flammis
Corpora: succedit castris Argiua relictis,
Relliquiæ belli, pubes non segniùs omnes
Pannoniæ populi gaudent, gelidiq; Cheruscus
Accola, iam solidas animo spes concipit, Albis.
Tunc verò clangore tubæ fremuêre minaci,
Raucaq; taurino strepuerunt claßica pulsu.
Funduntur campis acies, & tessera nutu,
Et

Et sonipes stimulis bellator Cæsaris arsit.
Tu quoque non fragili crispans hastilia dextra
Iungebas socios per cuncta pericula cursus.
Nunc pedes immistus pediti, nunc arduus alto
In turmas irrumpis equo non te aspera bruma
Frigora, Marmaricis non solibus æmulus æstus
Terrificat, potare niues in caßide suetus,
Hybernumq; Iouem nullo lenimine mulces,
Aestiuumq; canem nulla solaris in vmbra.
Primus in hostiles cuneos inuadere, fraudes,
Et dubias cæco ferri terrore latebras
Audaci penetrare gradu, explorare viarum
Anfractus, densaq; horrendas arbore siluas,
Et fluuios, muriq; minas, discrimina Martis
Nulla fugis, nullo mortis terrore moueris.
Sic ardens Rutulis Pallas Euandrius aruis
Magno Achisiadæ Phrygiis comes ibat in armis,
Proculcans equitumq; duces, peditumq; furores
Contundens sed tu fato sublimior omni
Turcarum deserta fuga tentoria cernis,
Castraq; victrici calcas hostilia saltu.
Ante diem Pallas Stygias descendit in vmbras,
Quis reditus, venerāde, tuos, plausumq; senatus
Dixerit Alpini? redeuntem amplectitur vlnis.

Ema-

Emanuel, clarumq́; genus cognoscit in actis.
Curia successum referentis pendet ab ore.
Cæsareo deducta salus mox pollice coràm
Soluitur, elucent, virtutis præmia laudes,
Rara tuæ. meritis voces aptantur, honores
Grata tibi dignos dextra solertia quærit
Cæsaris, & claro fructum donare labori.
Libera non aliter cæsis Capitolia Gallis
Maiestas Romana videns, vnaq́; receptam
Se lauru agnoscens, dextris solennia diuis
Supplicia indixit vulgò: centumq́; Camilli
In laudes soluit linguas. encomia mille
Rostra modis resonant. patriæ hîc tutela, parensq́;
Hîc libertatis vindex, columenq́; senatus,
Præsidiumq́; rei felix inscribitur illic
Nec satis est, uultus etiam deduxit in ære,
Inciditq́; notas memores in marmore facti.
Iam thalami fructus magni susceperat alti
Emanueliden generosa Sabaudia Carlum
Cum rude donari cupiens, sceptriq́; labores
Ponere, legitimas nato mandabat habenas
Emanuel superas uoluens in pectore sedes.
Sensit enim proauos, patremq́; ex arce vocantem
Aetherea, fascesq́; alios, regnumq́; ferentem.
Conuo-

Conuocat & natos vltrò, fidumq; Sabaudum.
Paruus erat Carolus sed quo non iustior alter
Maturam gereret iuuenili in mente senectam.
Nec minus indicit ius inuiolabile, nutu
Bernardine tuo primos vt dirigat annos.
Hæsisti ex illo comes indiuisus, & alti
Principis in curas vigilas, magniq; parentis
Virtutes, & facta refers. ne mollius æuum
Degeneret patriis actis, sed pectora cælo
Proxima, maiorum veluti patrimonia, dotes
Eximias, animosq; bibant, & lumina patrum.
Scilicet in cunctis viuacia semina rebus
Virtutis natura sua, fortisq; recondit
Nec creat imbelles volucrum regina columbas,
Nec turpem generosa lupum lea, Tygride manat
Trygris, equo sonipes forti de sanguine fortis
Nascitur, educit maiestas regia regem.
Ingenium tamen humana caligine pressum
Altius ad cæli nequeat se attollere culmen;
Si careat monitore suo. sic marmora sumas,
Aut tabulam in varias docilem transire figuras,
Absit Apellæus sudor: nec nobile signum
Nuda Venus pelago surgēs, crinē exprimet vnda.
Aegida nec quatiens Tritonia sæuiat hidro

Saxifico. quæ nūc reticet lyra, Thracius Orpheus
Sollicitet docto vocales pectine chordas;
Saxa loco moueat, cursum remoretur aquarum,
Nimbosum moto depellat Oriona ponto.
Alliciatq; noua totas dulcedine siluas.
Pectora sic Caroli monitis ingentibus implens
Ducis in effigiem patrum, fingisq; deorum
Aßimiles animos, repetisq; vt corpora ternæ.
Nostra regnant mentes. duplex obnoxia letho
Subiaceat dominæ iußis. atque infima viles
Obtineat partes. tenebrosi tertia busti
Nescia, qua pendent sub carcere corporis actus,
Omnigenum quæ mandat opus, rectiq; ministra
Dirigit hūc nostros, ubi candet semita, gressus.
Post cineres purum iactantior æthera nacta
Euolat è tumulo positis ad sidera uinclis.
Altior hæc capitis sedem sibi legit in arce.
Vnde animæ partes, si quas Virtute domandis
Obiecit uitiis Natura dextera, monstras.
Quis recti finis: quæ norma, an distet honesto
Vtile, num cedant uicti ratione timores,
Effera subsidat tumidæ violentia bilis,
Iniustus frænetur amor, prauisq; Cupido
Diuitiis inhians medico satietur in auro.
Adiun-

Adiungis qua fama pios in secula Neruas
Atollat penna. feritas quas dira Neroni
Aspergat maculas. quas laudes, Brute, receptis
Fascibus acquiras. Decios quæ funera bellis
Lustrales clarent animas. te Regule Pœni
Barbaries tortoris atrox. quæ vindicet ira
Perfidiam Metii. Fabium mora sedibus æquet
Aethereis. fortes ostendat Mutius ignes.
Tu quoque damnaris nimii Torquate rigoris.
Nec paupertatem Curii, magniq; ligones
Fabritii transis. te prisca in secula fundis
Historias iusto pendens examine cunctas:
Vndè patet nullam uirtuti obsistere sortem.
Cedere regis opes, inopi luxumq; colono.
Deberi meritis non auri, at mentis honores.
Triste coercendum gladio scelus. aspera morum
Exempla, & duro pellendam è pectore cautem.
Non populum toruo ferri terrore moueri
Tramite sacrilego, sed regis moribus illum,
Qui poterit rex esse sui, sine fine beatum,
Et superûm similes ducturum leuiter annos.
Non qui purpureos Zephyris adiecerit Euros,
Et domitos iustis Austrum, Boreamq; triumphis
Duxerit. humanos qui non frænauerit æstus,

Omnia

Omnia poßideat, satis quoque iura ministret,
Seruitii crudele iugum, legesq; malignas
Interiùs duri latè perferre tyranni.
Nec minus & Martis fraudes, & robora docto
Perstringis sermone. vagus quo miles in arua
Ordine discurrens incauti colligat hostis
Arma, superfuso vexans campũ vndique cornu.
Quo rursùs densare modo, quo flectere Martem
Conueniat. quibus aut valles, aut silua latebris
Pubem emersuram cœlet. quæ stagna profundi
Gurgitis ars superet, penetretq; in viscera terræ
Obscuras Plutonis opes rimata, dolosas
Subter inire vias audens, arcanaq; ducens
Limina securam quà Mars erumpat in vrbem.
Quo bonus hostiles ductor deprændere sensus
Consilio valeat, motusq; eludere inanes.
Non equitum cursus agiles, agilesq; recursus
Dißimulas; peditumq; latet quid dextera poßit:
Ferratis non æra rotis inuecta, labori
Machina Cyclopum non inuida, puluere flãmas
Turgida concipiunt vbi diro, fulminis alis
Acriùs, æratas uoluunt in menia moles,
Quæ verrant muros, & propugnacula moles,
Quæ rapiant latè cuneos, & densa, catenas,
Agmina

Agmina, cingentis furioso turbine lamma

Nec fugiunt: quæ maiorum sibi regna labore
Quæsiuêre manu. quæ sæui iniuria Martis
Abstulit & ferri rabies qua fraude rebelles
Iure Subalpino se subtraxêre Gebennæ,
Atque vrbes aliæ, quas partim transfuga sceptris
Subdidit infelix alienis, toxica partim
Traxerunt Erebi, & meritæ formidine pœnæ
Legibus ut Christi sic defecêre paternis.
Hæc etiàm tecum, mundi totius in ore
Proditionis ali viua, atque rebellis imago
Nitetur, legesq́; (nefas) uiolare parata
Et cœli, & terræ, diuûmq́; excindere templa
Coniurata manus, nec nos iusta incitet ira
Diram ignominiam patris depellere regnis?
Non mouet hoc moueant incerta pericula belli
Seruilis. uindex ferrum iracundia sumat,
Conueniant populi. vltrices accingere flammas,
Concidat in cineres quem nec pia gloria Christi,
Nec mouet vlla fides; armis remoueto pudorem
Hunc procul, atq; oculis scelus exturbato piorũ
Talibus, atq; aliis questus, Mauortia Carli
Pectora vindictæ iusto succendis amore. (de
Q oiq́; quibusq́; modis facere id q̃at, addis & vn

Auxilium

Auxilium prohibere hosti, quo ponere castra
Ordine, quas fauces positis arctare maniplis,
Quod munire nemus, quas cingere milite rupes,
Oppida quæ primo iubeas prosternere Marte,
Quas retinere arces: quis sit locus aptior armis.
Quo transire lacus astu, quibus ænea malis
Imponi tormenta iugis. qua parte cauari
Clam tellus, duciq; aditus in mœnia possint.
Hæc & plura monens ut Bernardine decebat
In communi ducem vigiles extendere curas
Cogebas facilem, deducebasq; volentem
Quo vera sudant laudes, quo fortis anhelat
Gloria. patris adhuc trames vestigia seruat,
Maiorumq; tumet signis & honore tuorum.
Sic tempestates pelagi, cœliq; furores
Expertus Scythici per mille pericula victor
Tiphys, Iasonii im nato cum traderet alnum
Iam fessus, cursusq; docens, artesq; canebat,
Quas monstret Cynosura uias quo dirigat astrum
Parrhasiæ felix Helices, quo clara Laconum
Sidera, quæ radiis illustret regna Canopos.
Quo domet errantes ponto Simplegades astu
Quod regimen furias fallat maris. vnde furores
Ventorum signet mutato Delia curru.

Quo

Quæ pueri Iouis insidiæ, quid sæuus Orion
Fulgeat, aut Hædi balent aut sibilet Hidra.
Tollit Aristotelem sublimi fama volatu
Pharsalos, Thethis ingentem Chirona. Solonem
Res Pandioniæ iactant, Thebana Platonis
Iura petit magni prudentia Socratis artes
Cecropidæ. fidum Troes mirantur Achatem;
Gloria doctorem frustrà Romana Neronis.
Quod si principium laudis pars nobilis omne
Respicit, atque omnes repetunt primordia causæ.
Quò magis antiquos Carolum præcedere reges
Constat, & insignes meritis æquare parentes
Tu venerabilior, mundíque ab origine cunctos
Consilio complere duces, & robore possis.
Pellæum turpis maculat temulentia regem,
Temperies omnes Caroli se fundit in actus.
Huic cœpta in dubiam cedunt temeraria laudẽ,
Nil temerè Carolus. furit iracundus Achilles,
In vitium præceps, veneri indulgentior æquo.
Cereus in rectam gressus diuertere metam
Carolus, atque æstus animi fregisse rebelles.
Supplicii terrore Solon Pandionis arces,
Allobroges Carolus, sed solo frenat amore.
Respuit oblatas leges, & dogmata Thebe,

Carle, tuas Augustæ petit, vocesq; seueras,
Non secus, ac Sparte seruat præscripta Lycurgi.
Euertit patriam feritas inuisa Neronis,
Aedificat patriam Carolus, prosternere iustas
Illi ludus erat gentes. hic parcere largus
Iniustis, speculaq; alta de rupe malorum
Vrbi impendentes procul aspectare procellas
Sedulus, & populis venientem auertere cladem.
Deniq; cum virtus vno hoc delubra locarit
Pectore, queq; fugant fraudes et crimina pulchro
Ore Deæ, redeunt in te ceu semina laudes.
Latrat Erythræi quæ gurgitis insula fluctu,
Quæ regio Lybies ardet quæ deuia Syrtis,
Acclamãt refluis quæ Thethyos Orcades vndis,
Vltima quæ Thule, quò non tua præpete penna
Bernardine fides penetrauerit? aspera rerum
Mollit amor, rumpitq; oculos liuoris iniqui
Candida temperies animi, splendorq; benigni,
Maturiq; sales, & Nestoris æmula mentis
Canicies, primisq; rigor spectatus in annis,
Per cunctos iit fama gradus, lateq; patescunt
Sudores aulæ vigiles, industria, uires,
Laudis auara manus sed opis larga, inscia fastus,
Luxuriæq; domus, socialis gloria lecti.
Quod-

Quódq; viris rarum est clarìs,magníq; nitoris
Amplificat raros animi,tutela fauórq;,
Curáq; virtutum,Mæcenatíq; secundus
Musarum affectus nulli. Sed Pelion Ossa
Inuoluam citiùs,quam tot fiducia dotes
Tangere. si Thyrso quondam grauiore Lyæus
Mouerit incumbens,& quo decet,igneus æstro
Spiritus impulerit,tunc arduus ibis in auras
Phœbeis inuectus equis tunc regibus orbis
Te quoq; Saxonidis permistū agnoscet, & ardēs
Lactea continuo cedet tibi lumine, & astrum
Omne petet sed te patria statione Triones
Excipient. illinc atra moderaberis Hidra
Sibila, & Ismarii mulcebis frigora plaustri,
Parrhasiæq; minas Vrsæ.lætabitur æther,
Contiguásq; plagas Phryxæo vestiet auro.
Clarescent ipsa radiis melioribus Alpes.

Ad Theodorum Sangeorgium comitem.

NOn terror agros hostiens abstulit
Vis Franca nullis affremit oppidis
Mercator hûc illûc inermis
Barbaricas vehit vsque gaZas.

Vestrósque montes iam decet aureum
Nomen cruenti pectora seculi
Ferrumq; cesserunt. Enyo
Preßit agens Gulielmus atram.
Pax alta latis hinc venit vrbibus
Hinc vniuersi copia machinam
Fœcundat orbis: nec metentum
Horrea iam capiunt labores
Infausta solum Rex Aganippidos
Bella, & furores Martis inhorruit.
Non ausa Gonzaga secures
Terrificant fera, purpura ue
Quò lassa flectat carbasa marmore
Iactata sæuo puppis, & Africo
Salum reuoluenti, solúmque
Aethereum Stigiúmq; Ditem?
Andrea iam num sapientiam
Rebus quiriret Phœbus in asperis?
An Scotiam fidum, integríque
Inuocet auxilium senatus?
Certè iuuarent auxiliaribus
Nos optimatum lumina copiis
Ferróque si quà Mantuano
Purpureum decus obsecundat.

Iniuriosos turbine volueret.
Sententiarum iusta seueritas,
At purpurati proferuntur.
Quæ prohibent tabulæ parentis.
Certamen horret scilicet exitus
Aequos iniquum. hinc & timor, & minæ
Vi pectus vrgent nunc aperta,
Consiliis modò fraudulentis.
Diffisus olim viribus hosticus,
Terror nocentem spargere sanguine
Manum innocenti sero cautus
Consilium repulit nefandum.
Non ominatis fraudibus aggredi,
Audet tribunal iura Cæsalia,
Sanctasq; opinatus moueri
Posse dolo Stigio Curules
Cum decidisset spe quoque futili
Fastidiosus tollere verticem
Virtute Franciscum nitentem;
Inq; suum caput ire fraudes.
Non vsitati calidus auxilî
Portum requirit: nec timet entheum
Tentare præfectum nefandis
Artibus, arbitriumq; iustum:

Audax fefellit. Dum scelus incutit
Pœna timorem flagitii solet
Inferre lethales amores
Prima nouis vitiis acerbans.
Abominandi conscia criminis
Vltoris iram dum tremit impetus,
Maioris Atridæ recludit
Trux Helenes soror ense pectus.
Non quiuit vllis vertere machinis,
Gonzaga, cæcus te dolus, integri
Minois obstas more O altum
Principis ingenium decúsque!
Stat ius seuerum fascis & interim,
Dum maior instet cognitor, imperat
Supersederi causa, & arcet
Inscius, heu sceleri secures.
Non ira, pœnæ non studium incitat;
Impendet vltrò iustior horrido
Vindicta ferro, & mancipatum
Flagitiis animum recidet:
Velletq; ab ima stirpe necessitas
Infixa clauis vrget aheneis
In peius ire; cum tetendit
Vela semel vitiis iniquus.

Quò tardiori se monet impetu
Vindex flagellum se feret altiùs;
Abdétque ferrum vltrix, vbiq;
Ira manus premet inquinatas.
Se verticoso muniat alueo,
Pratenta cingant æquora Syrtibus
Vastosq; siluarum recessus
Obiiciat scelerum minister.
Thebana Troiæ menibus aggerat,
Insana desit nec Babylonia
Substructionis uis, nec orbi
Sidereo scopuli minantes.
Inuoluat Ossa Pelion, arduo
Inuoluat Hæmi pondera Caucaso.
Athos Olympo instet, feriúq;
Culmina culminibus premantur.
Portæ columnis stent Adamantinis;
Flammasq; circum Tartarus euomat
Vndante fumi nube. murus
Omnia sint fragilis scelesto.
Non ausa deerit qui fera vindicet.
Causæ æquiori peruia cesserit
Vltrò residens altitudo: &
Pandet iter per iniqua tutum.

Pectus timores excute, frigora
Mens vana pellas audiet, audiet
In turbulenta re, & salutis
Portus erit miseræ Hippocrena.
A solis ortu Delius oscinem
Coruum salutat. texuit æthera
Non mœsta prapes, & sonorum
Rege poli sonat aula dextrò
Ergò salubrem porrige dexteram
Votis petentum dexter, & obrue
Tutela Musarum, decúsque
Pestiferam Theodore turbam.
Suprema quamuis ceu decet, occupent
Corda altiores sollicitudines,
Prouinciamq; ingentis instar
Sustineas humeris, Atlantis.
Curásque curis iure fidelibus
Aeques volentis, maximè principis
Nil inuidens Idæo Achatæ
Inferiùs venias parumper.
Orbes acuti luminis admoue, &
Preßum benignus subleua Apostolum,
Paßusq; Mecœnas vocari
Flectere Pieridum rogatis.

Hostile fregit robur, & æmulos
Titanes armis fortibus & tui
Vis consilî preßit, Ducisq;
Nunc alium reprimat Typhœa.
Et debet iras exitiabili
Explere iustas Mantua fulmine,
Dextráque sæuire. vrget hostis
Iura patrociniumq; vestrum.
Cum Gulielmo pugnat, inhorruit
Frænare diram docta licentiam
Legum verendarum potestas.
Marte nefas furit insolenti.
Tu iustiori comprime formula;
Fastus rebelles deiice, conterat
Iniuriosos ius tumultus,
Pro merito merito soluto.
Seu verrat ingens Syrmate puluerem,
Seu plebis auras uilior ambiat,
Seu dictet Aetnaeos Apollo
Pectoris edomiti calores.
Quicunque mentis mouerit intima
Amicus nostro laurigero Deus
Formidolosa ui solutus
Te columen celebrabit vnum.

Ad

Ad Corneliam Ticinensem.

CVm modo crudeli gemeret sub vulnere pectus
Et nouus in uacua mente caleret amor:
Ossa impacato versabam lassa cubili
Nec mihi nox aderat; nec mihi grata dies.
Nequis enim posset sine te, mea gloria vitam
Ducere? Thesides viderit asper, amet.
Magnesi Peleus violaret fœdera lecti,
Si foret hic nuptæ splendor, Acaste tuæ.
Dira nec horrendæ cecidisset flamma Chymeræ
Ad Paphias faceret si Stenobœa *faces.*
Cur tamen Aetnæus subito consederit æstus,
Forte rogas? terret nomen, agitq; tuum.
Forma Dionææ, fateor capit æmula laudi,
Talis in Ogygios is Ariadna sinus.
Purpura mista genas Tyrio fulgore colorat;
Quale rubet Lyciis fessa Diana iugis.
Ex oculis nitidi lux insidiosa Smaragdi
Ceu geminum supero sidus in axe micat,
Cristalli sic Nimpha latus Peneia mouebat,
Brachia sic Io: sic Atalanta femur.

Illu-

Illustrat faciem nec cura decentiùs Herse
Neglectis collo non dedit ire comis.
Adde quod ambrosii manant è gutture rores,
Queis leo terribile, ponat, & hidra minas.
Nec pudor, & sanctæ generosa modestia frontis,
Qualis in assumpta casside Pallas, abest.
Quid tamē hæc psunt? animū importuna fatigāt
Fata, tuum nomen, pro dolor, omen habet.
Inuida, quid tantum maculas fortuna decorem?
Non facit ad nomen candida forma malū.
Debueras aliam formosæ aspergere labem
Si nihil ex omni, perfida parte beas.
Tu quoque si patrem soboles mouet aurea, carum
Inuideas odio si potes, Ole, caput.
Nec bibis horrentem gelidis Aquilonibus vndā.
Nec qui Marmarica Bagrada findit humū.
Oppida Ticini celebras, vbi nomina rident
Mille puellarum, nomina mille nurum.
De tot sume vnū dū non sit in omnibus vnum,
Nil tibi, quod possit stare minoris, erit.
Quid Beltrane furis? Latiiq; insigne pudoris
Pendis, & Ausonias, ut leue vulgus, opes?
Perlege Romuleos operosa volumina fastos
Dic sibi quo tantum nomine Roma placet?

Fortis Idumaeas Gracchi Cornelia palmas
Vedicat hanc sequitur nata Metelle tua.
Robora nempe notat cornu Cornelius inde
Ad Phœbi transit splendor vtranq; domũ.
Cornua Bacchus hêt, Pan cornua, cornua Phœbe.
Aurea de cornu copia dite venit.
Heu decus, incassùm suspecta inducere voci,
Nil profecturam niens dare tentat opem.
Prima inter niteat Ticinides illa puellas,
Vltrò illi cedat regia tota Iouis.
Si tamen est aliquid sententia plebis, & usus,
Præsentique licet ducere verba nota.
Cornua me terrent, & capri tristis imago,
Rem potius vellem, quàm fera verba pati.
Ergo mihi quoties dabitur petere oscula diros
Incutiet nomen prodigiale metus?
Appellem? frangent ipsa vocabula mentem;
Cornua dira die, cornua nocte premant.
Di facerent Cucabam, vel Culla nomen haberes,
Nominis exanimor, voce sonoque tui.
Aut molli, aut dirum Cornelia reiice nomen
Hoc miser, hoc odi, cætera semper amem.

Ad

Ad Pompeium Siccum.

IAm mensis anno longior igneos
Euoluit orbes, delituit semel,
Vultusq; fraterna repleuit
Purpureos face Noctiluca.
Euasianis nec venit arcibus
Nostra salutis littera nuntia.
Obliuiosæ num procellæ
Mentibus incubuêre nubes?
Astricta nodo corda Laconico
Lathea labes opprimit? an mei
Pompeius, & cari sodales
Immemores posuêre amorem?
Ferenda ventis Pirithoi æmula
Fides recessit? iam Rhodopes calor
Aetnæus anfractus rigentes
Torreat, Aetna vomat pruinam.
Intonsa lætus per iuga montium
Delphinus erret. semifer æquoris
Armenta siluarum recessus
Per virides agat atra Protheus:

Audax leænæ fœtus, & aspera
Tygris relictis montibus Icarum
Tumultuosum intret, nemusq;
Omne vagam colat Amphytritem.
At frigus algens ut bibat igneos
Aestus. & æstus flammeus in niues
Cedat, nemusq; alti frequentent
Monstra maris, mare monstra terræ.
Mutetur orbis: non tamen immemor
Siccæa proles hauserit inuidam
Obliuiorum vndam, aut sodales
Iura Syracosii reponant.
O si daretur ius penetralia
Nudare mentis pectoris abditas
Videre secreti latebras,
Et uarios animi recessus.
Non tantus hæsit corde Mycænides
Phocæo, in altum sit licet æthera
Fama leuatum par, ut aureus
Ante oculos mihi cætus errat.
Hinc Balcianus Iulius arripit,
Hinc Ruffa claris inclytus artibus
Hinc felle Siccus purus atro
Dißimulem reliquos ut ignes.

O Cœtus aura carior, aureo
Coniunxit olim quem mihi vinculo
Altrix honesti mens amor is
Corda pio penetrans calore
Centena possit lingua nec edere
Centena nec vox indice Delio.
Descendat in pectus Lyæus
Totus & Aoniæ sorores:
Quam multa nostro pectore Delia
Imago viui pulchrior aurea;
Imago solis pulchrioris,
Quæ reliquis adimit decorem.
Scis quo tumultu pectus inarserit,
Scis quæ catenæ quæ iuga comprimant,
Torrentiores scis ut ignes
Depulerint reliquos amores.
Hæc cura curas cedere cæteras
Iussit, sororum par cui populo
Non conferendæ quæ teguntur,
Heliades, cecidere mente.
Nunc fata vexant, nunc videor miser
Desertus, exul seu iubar aureum
Se tollat vndis seu cubile
Fax iubeat rubra Gaditanum.

Cen-

Cernit gementem me iubar exiens,
Cernit gementem me iubar occidens.
Rem mittit vmbras nox in omnem
Nostra tamen radiat Diana,
Nec sentit vmbram mentis in intimis
Ceu uultur atrox, hæc penetralibus.
Stat cura torrentesq; flammas
Ossa bibunt animusq; pœnam,
Dulci furori dum uacat. & malo
Iocundo inhæret; qualis in arduo
Templo sedebat! qualis alti
Oris erat decor! hic capillus.
Incessus hic, & gratia, purpura
Hæc quæ notabat gloria Punica.
Ceu mal t, malas hic in orbe
Chrysolytus geminus nitebat.
Flammaeq; præsens, quas dedit aureus
Vultus, relucent & memori manent,
Viuuntq; menti. Si doloris
Aequa darei, Cytherea, finem.
Abesse quisquis autumat vnicum
Fomentum amoris par adamantino
In corde pondus, vel profanum
Ille gerit chalybis rigorem.

Aut nulla certè iura Cupidinis
Expertus: ausit quid Venus inscius,
Sed flamma crescit. spes ab omni
Parte abit intereà, valeto.

Ad Io: Franciscum Apostolum.

SI foret auspiciis dulcem decurrere vitam
Cuiq; suis, rerumq; ordo sub iure iaceret
Humano; tecum vitam decurrere, tecum
Eligerem totas componere, Apostole, curas.
Sed cum multiplices agitent mortalia clades,
Nec uitam arbitrio patiantur ducere nostro
Hinc tumidi fastus regum, hinc insania uulgi;
Est animi superare graues patiendo tumultus
Ingentis: duraq; minas contemnere sortis.
Nec frustrà auricomos legisti ex arbore fœtus
Socratica nec nos unquam requiesse sub vmbra
Cecropii ne quicquam ætas vlla arguet horti.
Haud caput intrepidum timeo obiectare procella
Scilicet armisona, fugere & perferre labores.
Nec rudis insani Boreæ descendit in altum
Nostra ratis. quid posit aqua surgentis, & ausit

Vis

Vis insana Noti, patet, & furor Orionis,
Arcturusq; cadens, sæuiq; orientia Capri
Cornua· Vasconidis rector testetur aquai,
Hic vbi fors olim cœpit restare Garumna.
Scit lygeris Francos inter non ultimus amnes
Sequanaq;, & Rhodanus, qui me vidêre ferendo
Fortunam superare trucem, cum Gallicus horror
Hînc premeret, turpisq; illinc instaret egestas.
Adde, quod effugiunt animũ, quæ cætera uexãt,
Sollicitæ rerum spes, horriferiq; tumultus,
Quique metus altis passim latè vrbibus errant.
Ne foret æthereis hominum par cursus alumnis,
Infernis excita lues è sedibus orbem
Occupat, & vario tentat mortalia motu;
Diuitiis inhians alius probra ponit, & iras
Venales, & verba locat. trabe marmora sulcat
Ille caua, & letho furit insultare propinquo.
Indè alio merces aliæ vectantur, auarus
Naufragus indè bibit, quas vltrò prouocat vndas.
Vt taceam quantis vrgentur fluctibus arma
Vsque impacata regum aduigilantia nocti:
Quem rabies ferri non deterreret, & audax
Fasq;, piumq; manu confundere ferreus imber?
Inuenies tamen infandis addicta periclis

Pectora, quique animam pretio licetur inani,
Vt coaceruato sit semper egenus in auro.
Angitur ille, nocens teneras seu grandine uites
Verberat imber, ager mendax, atq; horrida culta
Seu duro riguêre gelu riguêre pruina,
Seu nimio caluêre die, caluêre furore
Omnia torrentis Canis. ille examina frustrà
Tentat Achemenio curarum expellere costo
Anxius & nitidis ostrum fulgentius astris
Cõparat, & Phrygio distinguit marmore vestes.
Contrahit iniectis hic in altum molibus æquor,
Quæque profunda secant veloci stagna natatu
Cogit in angustum tumor agmine scilicet atrox
A terris terras etiam tentare reuulsas
Andet, & æratas angor conscendere puppes.
Armatosq; globos, & tela minantia telis
Irrumpit fera cura suis, pelluntur ab uno
Curæ infelices Helicone & flebilis angor.
Parnasum fugiunt, quæ torquent omnia pestes.
Tartareæq; tremunt facies O terq; quaterq;
Felices, quibus æterni fastigia montis
Mæonio superare gradu licet. Isthmius illum
Sollicitet nunquam labor Elidis ille triumphos
Despiciet, vanosq; orbis contemnet honores,

Lætus

Lætus in angustis, decerpet gaudia rebus,
Aspera nec fractum, tumidum nec læta uidebũt:
Sed uirtute sua munitus, & aspera fortis,
Et res felices trutina perpendet eadem.
Viuus, & humanis quasi mortuus erret in oris,
Mortali Deus, & Diuûm mortalis honori.
Rectus amor tamen æternis uenit ignibus ardens
Cui cedit pius uni Helicon, immune doloris
Nil uidet igniferos arcus seu premat ab undis
Aequoreis seu mergat equos dux flãmiger undis.
Stat sua cuique lues, suus angor in omnia manat
Vtq; aurum flammis, rebus spectatur in arctis
Ingenui uirtus animi: dirum ergò furorem
Aduersæ (quãdo auxilii nil denique restat)
Fortunæ superet fortis sapientia mentis.
Muneris hoc etiàm haud parui fore debet, acerbo
Insubrium quod non teneat languore solutum
Regia, quod stratis è prodigialibus ossa
Fessa leuare datur, quod firmo extendere gressus
Poplite concessum est, tandem torpore remoto.
Nunc claram pietate colo tibi proximus urbem,
Nunc uultus aliquando tuos, nunc ora tueri
Possumus, & missis lenitur vtrinque tabellis
Fidus amor: dum fausta dies differtur, & alto

Sors desiderio contraria refragatur.
Adde, quod hîc humili versos in puluere vultus
Hostiles fœdásq; comas, & conscia facti
Pectora turpari, latéq; inimica decoris
Nomina Apostolii luere exitiabilis ausi
Iam pœnas (dum Tartaridũ iusta ira sororum
Sæuiat, & Phlegethon vltricibus obruat undis)
Vidimus & totam complerunt gaudia mentem.
Nec min' ipse alacri (indignũ nec credere) dulci
Flumine lætitiæ totus perfunderis, iisdem
Quod curis teneamur, & altum æquemus amorẽ.
Nec Pilade tam suaue reor, quod faucibus Orci
Ereptus superam reuocauit in ætheris oram
Mille Agamemnoniã per certa pericula prolem,
Quam recreat pulchrum fidi certamen amoris.
Quid? non, & quæ me larga indulgentia magni,
Te quoque, Viualdi mulcet. Bellania proles
Me fouet amplexu patrio, Bellania proles
Te fouet amplexu patrio. me denique si quis
Prosequitur quondam officiis, & Apostolon ille
Prosequitur. releuat seu Magno caballius heros
Gloria Pœoniæ data Magnocaballius arti,
Seu mala rusticitas Guatii depellitur ore,
Exuiturq; trucis paulatim è pectore ferri
Mol-


Mollito malè suadus amor. seu Vulpia mentem
Tollit amica fides: in Apostolon hæc quoq; manat
Gratia, Apostolium stringũt hæc vincula pectus;
Vnaq; pertentat præcordia bina voluptas,
Vno afflictantur præcordia bina dolore;
Siquid atrox cecidit siquid miserabile vexat.
Tantus amor tanto iunxit duo pectora nodo.
Quod superest solitus dilecti pollicis ictus
Mulceat, optatumq; vale soletur amorem.
Dum memor ipse mei valeas, dum sortis iniquos
Dilecta pars vlla domus non sentiat ictus,
Sæuiat, & misero Styx debacchetur in orbe.
Scilicet incassum turbantibus appetat vndis
Hoc fortuna caput, modò teq; tuosq; relinquat
Intactos, venit indè salus, venit indè voluptas.
Inde triumphali venit insignita corona
Gloria sed quid ego vulgaria verba reuoluens,
Vera licet sequar, & mentis penetralia nudem
Sinceræ nec cæcæ? suo iam finiat amens
Clio fine; vale, seruaq; absentis amorem.

Explicit liber secundus.

MICHAELIS GASPARIS BELTRANI LVSITANI

SILVARVM LIB. III.

De nuptijs Io. Baptistæ Sabaudici Marchionis, &c. Et Benedictæ Spinolæ.



Pulchra per Eridani faciles Cythereia fluctus
Errabat Cypria ludens per cærula concha,
Astra coronatis vbi tangunt aurea pinnis
Taurinorum arces Caroliq; palatia miro
Structuræ splendore micant, & Palladis arte.
Miscebat choreas Iocus, & pennatus Amorum
Bella mouet circum variis exercitus armis.
Et modò monticolas exercent vulnere Faunos,
Siluanosq; petunt & rustica numina telis.
In mediis nunc ardor aquis venit urere nimphas.
Vertit in vrbanas modo se lascinia mentes.

Pluri-

Plurima laxato iactantur spicula neruo,
Et variæ varia plaga amentantur habenæ.
Cura nocens sua quéque tenet. tela aurea mittit
Hic iacit hæsuros æternùm mentibus hamos
Ille petit flammis alius pars uentilat ignes
Iniectos. pars obtuso præcordia plumbo
Macerat iis dubius Tremor, atq; Insania castris
Militat, & tincti violæ pallore Timores.
Sceptra puer sæuus gerit imperiosa Cupido,
Castigatq; moras, & totum exasperat agmen.
Nil nisi diuinum summosq; lacessere reges
Dignatus cornu, cura est affigere vilem
Plebé aliis, quos vel Driades, vel Oreades edũt,
Gramineq; inuoluunt viridi. Venus aurea regem
Idalii pariens intexit floribus horti,
Et regnum sine fine dedit sine fine lepores.
Thyados in morem simul ac Berecynthia pulsa
Tympana taurino strident fluit vndiq; vulgus.
Nimpharum positoq; volant per amœna timore.
Hæc terris hæc ludit aquis manus. omnibus æquo
Igneus infligit regnator vulnera nutu
Nec Padus euasit iaculum penetrabile pulchrã
Cimodoces arsit faciem. nec profuit olli
Nectaream Alpinum diffundere frigus in urnã.

Qua

Quà Dea, quà rutilis vertit se exercitus alis
Murmura demit aquis fluuius, ventiq; sonoræ
Frænantur furiæ, Zephyris felicibus arua
Mulcentur, subitis oneratur fructibus annus.
Et sterilis vario florum micat alga colore.
Gemmat arena rosis, amicitur ripa lapillis.
Aspera mitescunt sensuq; carentia tangit
Imperium sublime Deæ. non arduus æther
Detrectare iugum tellusué, aut Nereus ausit.
Dum sua metitur regna, ingentesq; superba
Diuidit exuuias pueris. duo pectora telo
Indoluit non posse Venus penetrare potenti.
Augustæ Baptista decus, Benedicta Sauonæ
Aspera securo spernebant pectore regna.
Musas ille suas inter Phœbumq; verendis
Distractus, nunquam perdebat tempora, curis.
Sed modò sanctarum reserare oracula legum
Mos erat, & cæcam prætorum exquirere mentē,
Arcanisq; latens tenebris educere verum
In lucem, nec pontificis responsa seueri
Prætereunt, regum nec ius, veneranda superbis
Iustitia, & magni curas incendit alumni.
Humanas habitare plagas, compescere dirum
Ausa nefas tetricosq; palā iam ostendere vultus

An meritis Baptista tuis, an munere Carli
Intumeat magis illa, latet, nec dicere prōptū est.
Debet enim Carolo terras, tibi dogmata legum.
Astraea siquid suffurabatur, Apollo
Vendicat, Aonio Tiberim vestibat honore
Nunc, aliàs Tempè Tyrrheno Thessala flore
Pingebat. quacumque olim testudine vates
Threicius patria lusit, quod pectine Sapho
Concinit Aeolio, voluit, magniq; labores
Mæonidæ. pendet nunc iusto examine quicquid
Cecropii stupuêre senes, quod secta Platonis
Quod diuturna Sami docuêre silentia, monstrat
Democritus risu, luctu Heraclytus amaro
Quid sibi Socraticus dæmon, nec nota voluptas
Antiquis Epicure velit tua scilicet vmbra
Humanis affusa animis nocuêre, tibiq;
Immeritam scelerum aspersit dementia labem
Nostra, nec ad cæli tecum conscendere culmen
Eualuit. marcens alicuius gloria fama
Tollitur à terra quod non discedat inerti.
Talibus in studiis, nunc ora resoluere legi,
Et numeris astricta suis. nunc verba solutus
Fluminis in morem, niuibus de monte liquatis
Cum sæuit fera diluuies, euoluere sueuit.

Romula non aliter Ciceronem rostra canentem,
Aut Graci stupuêre duces Demosthenis amnes
Pectore nectareo manantes, siue Philippi
Ingruerent classes: seu Casaris alta libido
Appeteret diro Mauortia pectora ferro
Nunc venatores Vmbros fuluosq; Laconas,
Et Medos, Persasq; labor, grandesq; Britannos
Sic alere ut posint vitia emendare parentum
Progenie mixta. genitrix sic Vmbrica Gallis
Sensum inconsulti agilem dat, & irrita lingua
Aetola de stirpe canis conuitia ponit
Semine suscepto cupientis bella Molosi.
Sic furias capiunt patrias ignaua, Gelona,
Turba nouosq; animos Hircano è sãguine ducũt.
Quaq; docet mira venator Gratius arte.
Aut Lusitani ductos e semine venti
Pascere cornipedes amor est, aut fortis alumnos
Elidis asiduo domitare in puluere gyros
Agglomerat tumidos, quos nec Phœbeius Aethõ
Exuperet duroq; mouens sola putria cornu
Insultat sonipes, vbi sensit pondus, & armos
Arduus ex tristi domini calcaribus aurum
Spumosis fumat sub morsibus æstuat acri
Nare vapor, numboq; flagrans rigat arua cruẽto.

Denique

Denique seu laxat faciles, siue arctat habenas,
Seu flectit cursus moderantem; Castera credas
Cillaron admissis decurrere Ariona frenis,
Nutritum stabulis ingentis Ariona Nerei.
Bellerophonteis prabere animosa lupatis
Ora, Meduseo qui sanguine natus acuto
Parnasum hinnitu volitans impleuit & vndas
Castalias solido deduxit in aera cornu.
Sic ubi belligeras demessuit ense phalanges,
Ismarias repetit glacies Rhodopenq; niualem
Bistoniis exercet equis transmittere Mauors
Aequa iubet cursu modo nunc Pangaa uolatu
Vincere anhelanti fastigia, concaua saltu
Fossarum rapidasq; Ebri transnare ruinas.
Nec patitur pigro corpus torpere veterno.
Exulat hinc somnus cœtusq; ignobilis oti:
Quaq; Citharinis emollit atrocius herbis
Corpora fallaci vultus circumlita fuco
Luxuries animosq; occulto effœminat hidro.
Urbis honor pleno iam Spinola nubilis æuo
Seu latebras, & honora domus penetralia casta
Virgineo seruat ritu seu templa reuisit
Aurea, flaucam credas Tritonida, tantus
Fulget in ore decor, tanta est affusa labellis
Gratia

Gratia sic pulchra veneranda modestia frontis
Irradiat, mouet ora Cyprin: tenet ora Dianam
Esse putes. animi faciem sed gloria vincit.
Hanc virtus, hāc alma Fides, quaq; aspera mollit
Saxa, rapitq; malis studiosè instantibus orbem,
Cælicolûm regi comes vna, infesta parenti
Virgo decens, vt templa colit Clemētia mentem.
Additur, & quantum fas est prudentia adornat
Fœmineum pectus, nec deest Heliconius humor,
Qui lauet irriguo rorantia nectare labra.
Pollice Castalium cùm se tulit impetus, apto
Pulsat ebur, Clariasq; nitens accingitur artes
Ambrosiæ plenis exundat copia riuis,
Et Venus, & Charites blandis sermonibus hærēt.
Non secus inuentrix citharæ mouet aurea docta
Fila manu si quando truci crudele Typhao
Inarimes imponit onus. rursusq; rebellis
Centeno Briareus consurgit in obuia motu
Fulmina, captiuoq; Ioui sua frana minatur
Incassum. laudant aliæ, plauduntq; sorores.
Non illa intexat fallaci stamine telas,
Robora non Ithaco iuuenilia tentet in arcu,
Deterret grauitas animi, frontisq; seuera
Altus honos, ardet, qualis trux Caus in Aetna,
Nec

Non audet prodire tamen procus. addere nutus
Aut mentem aut oculos inhonesto flectere motu
Qui coram auderet nudæ ac Latoidos artus
Lumine sacrilego violasset, penderet ausus
Ipse suæ mentis stimulis furialibus actus.
Deniq; seu plateas inuisat, & ardua diuûm
Templa inuetq; leues (vt mos) agitare choreas.
Statq; sedetq; oculos in humum deiecta modestos
Matribus exemplar, speculum immortale puellis
Innuptis, notat igne genas pudor insitus, ardet
Murice candor, vti canentia lilia rubris
Manè recens immixta rosis. vel qualis ab arte
Distinguit succus dentem Sidonius Indum,
Sic, vt Hamadriadum viridi circumdata cœtu
Instaurat Diana choros in vertice Cynthi,
Rustica, lasciui concurrunt, numina, Panes.
Et nimpharũ amens fugientum Faunus amator,
Nequitiæq; senex innatæ oblitus in vno
Obtutu defixus, humi Silenus inhæret.
Sic pia virginitas tumet, & venerabilis horror
Spectantum latè stupefacta in pectora manat.
Sidereos igitur dum Cypria luminis orbes
Vertit in vrbanas, miscetq; incendia mentes;
Hic prior aligerum dictis affatur Amorem,

Gemmăti complexa sinu. mea, nate, voluptas
Cyclopum qui spernis opus, flammaq; trisulca
Tela domas armata Iouis. quem Nereus horret,
Et tremit in gelidis Neptuni exercitus vndis,
Pythia cui doctus submittit spicula Paean.
Tu Plutonis equos superas educis in oras;
Infernumq; adamanta tuis mollescere telis
Cogis; & imperio Mauortia pectora nostro
Subiicis, & blanda mansuescit arundine silua
Horrida. labetur sine te mea gloria, regna
Te sine nostra cadent. tu saeui corda Neronis
Vincis, & immanem superasti solus Achillem,
Tu famulos fraenos victori immittis Atridae.
Suppliciis euicte meis Sidonia frangis
Agmina, Romuleae tibi se victoria debet
Vrbis. Elysa tuo mihi munere praeparat vltrò
Hospitium, Poeniq; animos posuêre feroces.
Accipe quae matris spolia expedit addere regno.
Subduxit se clara tuis Diana sagittis,
Spinola spes animo iam nūc quoq; nutrit easdem,
Et virgo nisi vincis erit. festinus anhelas
Excute, nate, faces. & fulmen missile libra.
Iunge Deam Heroi, magnasq; intercipe curas.
Nec moueat quod Pieridum munitur vterq;

Præsidio; satis est Venerem prohibere virenti
Parnaso, natumq; sacro citus aufer ephœbum
A studio, libeatq; aliquò discedere Musis.
Dixerat & libans ardentibus oscula labris
Stellifero natum gremio lætata remisit.
Ille leues per inane Noto mouet ocyùs alas
Atriaq; affectu mentis velocior intrat
Ioannis. Musas, ceu Delius, emicat inter
Ille, tuas leges Astræa, & dogmata voluens.
Exuit & plumas humeris, & eburnea tela
Dissimulat. cultus mutatus & ora seuero,
Bernardine, tuos imitatur poplite gressus.
Assurgit Dircæa viro manus. incipit ille.
Quid Deus, vnde tonet discussis nubibus Eurus,
Quid mens, vnde animæ primordia, corpora tabo
Iā cōsumpta vocet quæ rursus in æthera dextra,
Sufficiatq; nouo putrefactas sanguine venas,
Quis cinerē immūdū pulchros animabit in artus,
Cum positura modum rebus mortalibus ira
Sæuiet in scelerum latè diuina ministros.
Quot moueant mentes cœli septemplicis orbes.
Quid fata dissoluat prærupiis semina nimbis
Quo glacies authore gelent quis grandine vites
Concutiat motus, quæ virgo fructibus ornet

Autumnũ, allatret grauidis qua Stella racemis,
Pulcher vt extulerit molli vir corpora limo.
Vt comes humanis concessa laboribus, vnde
Vir queat æternos iuuenescere lætus in annos,
Par, similisq; Deis. quæ sit quærenda iugali
Inde thoro. quæ frons, animi quæ gloria, dicit:
Quam reliquas vincat vario Benedicta decore.
Nec genus aut faciem morumq; intacta reliquit
Lumina. succenditq; rogo præcordia cæco.
Nec prius absistit quam totum incendia pectus
Hauserit, & penitus biberit dulcẽ oßibus ignẽ.
Tunc verò causa non apparente dolores,
Et nouus incubuit menti furor. ingemit, vnde
Eueniant gemitus, vnde hæc suspiria nescit.
Non Phœbus, non Musa mouet, legesq; seueræ.
Non iuuat egregios venatibus addere seras,
Non agiles Metagontes alit. non alite ferri
Gaudet equo. domito sub pectore Spinola viuens
Totum sola tenet. mollisq; est igne medullas
Plaga latens. ad se mentem decus arripit illud,
Et sensus, quod pinxit Amor. non segniùs arsit
Qui celerem auratis vicit Scheneida pomis.
Ah quoties rubuêre genæ, vultusq; notauit
Purpura surgentis prænuntia certa caloris!

Facun-

Facundum pulsabat ebur, votisq; ciebat
Pierio de monte Deas. nec sufficit œstrum
Laurigerum. resonabat ebur, Benedicta, beatū
Emicuit nomen non iußo pollicis ictu
Deductū. & lachrimis tabula maduistis amātes
Nec minus intendit venerāda virginis annos.
Aeterna flammare face. ingentesq; penates
Ambit Amor. primosq; patres incedere tentat,
Lāpade qua magno Polinicē adiunxit Adrasto.
Nexuit Ausonio Phrygium quo iure tyrannum
Virgineum telo non ausus tangere pectus.
Fortè suum Musa Baptistam ex more requirūt.
Impreßaq; gerunt valli munimina cera,
Murorumq; minas, & propugnacula formis
Centum centenis surgentia. turribus illa
Horrificant tormentiferis. hæc mœnia spernunt
Aequari contenta solo, sed valle profunda,
Aggeribusq; inuai dirimi, secreta viarum.
Et labyrinthæo ritu telluris hiatus.
Et varia fallunt oculos ambage cauernæ
Multiplices. stant æra suis obiecta fenestris
Horrificas latè spirantia sulphure flammas
Cum tonitru. ferro sæuit procul ignea moles
Hostiles raptura globos. abrumpitur aër

Et discissa fremunt hinc, atq; hinc nubila. cœlum
Inuoluit cæca caligine fumea nubes,
Obruiturq; dies tenebris & murmura montes
Ingeminant horrenda feri, resonabilis Eccho
Affremit, & vallis circumstrepit ima sonore
Fulmineo. mediis imperuia fluctibus arx hæc,
Innatat, immunes ostendit fluminis illa
Fossarum anfractus. nempè oblectauerat olim
Pierium iuuenem labor hic. aciesq; maniplis
Gaudebat, numerisq; suis componere, in ala
Horrida nunc speciem formabat bella, rotabat
Nunc in gyrum agmen, nũc ducto forfice turmas
Mandabat, modò lunato procedere cornu
Iam non arma placent, animũ nec bellica Pallas
Raptat. anhelatæ rapiunt præcordia flammæ.
Terrentur nouitate Deæ. pacemq; volutæ
Ante Iouem, Venerisq; rogant examina, risit
Omnipotens. thalamiq;, Deum, qui præsidet, alto
Demisit cœlo sequitur mox pronuba Iuno,
Et Chorus, & cantus, & iam secura Voluptas,
Et Venus, & Charites, Domitiq; exercitus omnis
Clara Libentinæ sequitur vexilla, rigorem
Spinola virgineum sensim deponit & ardor
Mutuus alterna succendit lampade mentem.

Nec mora cõueniunt ambo. signum arduus æther
Per purum flammis dedit, intonuitq; serenus
Connubii faustos Genitor testatus honores.
Lætitiam quis terra tuam? quis gaudia narret
Vrbis? et errantes paßim per compita matres
Perq; uias? quis tot noctes canat ordine luxu
Regifico ductas? quis tot canat ordine luces?
Et choreas cytharasq;, & lætas plausibus ædes,
Et tot Sidonio conuiuia structa paratu?
Quis decus expediat frontemq; vtriusq; mariti?
Sic vbi deposuit busto mendace senectam
Ipse sui genitor, genitusq; resurgit ab igne
Pulchrior, & totus meliori interlitus auro
Tendit iter Pharias Titanius ales in oras
Authoremq; globum fert vnguibus. halat amomo
Funus, & ambrosios seges Indica spirat odores.
Innumeræ glomerantur aues, & præpetis alæ
Natiuas mirantur opes. Iouis armiger vltrô
Cedit, & alituum deberi huic regna fatetur.
Ille volat, Solemq; suum veneratus in aras
Relliquias de more sui cineresq; reponit,
Lætior & remeat, per quas modò venerat, auras.
Clarus odorato resplendet funere Nilus.
Talis in amplexus ibat Benedicta Sabaudi,

Amplexu talem recreat Benedicta Sabaudum.
Surgit in ignotos domus extra sidera tractus,
Phœbæa summota via. quam signifer annos
Dimensos etsi secat ordine & ordine flectit
Ignorat. vix nota deis nostra inuia menti.
Ima tenet. vastoq; locum sibi legit in antro
Congeries rerum informis scatet amne perenni
Annorum series abrupta è caute. sed ipsa
Quæ fundit, rursus vorat ore Carybdis auaro.
Vnda incerta, nocens tacito quæ cætera lapsu
Conterit, & lenta noua semper in omnia morte
Sæuit. æquatur atrox, numerosq; exhaurit, et ho-
Præcipites hoc fonte senex. noctesq;, diesq; (ras
Et menses, annosq; & secula monstrat, & idem
Eripit: aßiduo repetens exordia motu.
Aulai in medio rapida vertigine uoluit
Velocem Natura rotam. qua pontus, & aër
Tellurisq; uiget moles, constatq; repleri
Inde iubet vultus alieno lumine Lunam,
Fulgentem Titana suo numerosq; referri
Omnia qui superas tollant in luminis oras,
Et superis iterum rapiant è luminis oris.
Paßim animæ per mēbra volāt, rursusq; recedūt.
Quicquid vbique perit, gremio longæua receptat
Mater,

Mater, inexhausto renouans mortalia cornu.
Illa senescentem validis nouat ignibus orbem,
Et nouus effœtos ebullit sanguis in artus,
Natales à morte vices, & robora ducens.
Ante fores flauos diademate cincta capillos
Regali virgo sceptroq; insignis eburno
Prouidet humanis studioso pectore rebus,
Vnde trahit nomen. iusta inuiolabile legis
Ius Adamantæo mandat seruare rigori.
Incertas iubet illa vias decurrere Martem.
Cælicolum certo deferri tramite regem.
Saturnum tardo terras lustrare meatu.
Nocturnam celeri Dianam excurrere biga
Idaliam puro matrem conuexa rotatu
Immensi recreare poli. Phœboq; vaganti
Mercurium iuxta comites adiungere passus.
Hac vario seruat lucentes ore figuras
Aetatum. quas multiplici Natura metallo
Deductas olim iussit spirare: priusquam
Iuppiter incertas mutaret tempus in vndas,
Sceptraq; depulso regnis genitore teneret.
Nectaris hæc riuis, hæc puro flumine tinxit.
Inuidêre pio Phlegethontia monstra labori,
Et dirum struxêre nefas, & sanguine mersum

Cerbe-

Cerbereo immiſcent orbi : nec ſedula cladem
Eualuit rerum genitrix auertere . ſanctos
Quod potuit thalamis penetralib⁹ abdidit annos .
Obſedêre locos cætus Cocitius imos
(Infandùm) ſtant horrifero terrore micantes
E duro facies ferro labor impius Orci ,
Innumeræ ſcelerum formæ , Vis , Furta , Doliq;
In foribus ſtabulant hinc noſtrũ exaſperat æuum
Sanguineus Furor . & terris inſultat iniquis .
Attollit fuluos oricalco proxima vultus
Iam melior ſoboles mediam conſcendit in ædem
Exhorrens mortale nefas argentea proles .
Quarta immortali ſeries igneſcit in auro
Altius , atq; oculi poſsint attingere , turrim
Occupat immanis fugiens commercia vitæ .
Conſcendit Natura locos , anniq; maritis
Aurea dona nouis mille inter ſecula lecti
Miſit , & adiecit pollenti hæc inſuper ore .
Sanguinei mores hominum , paſsimq; fugarat
Ingentes ex orbe Deos gens ferrea . virtus
Nũc tua, Ioannes, tua nunc, Benedicta, reducat .
Aurea deſerto terras iam virgo frequentet
Aethere . iam manent Hyblæo nectare quercus .
Alma Fides ornet ſocios , & Gratia lectos ,
Et

Et Pudor & Virtus, & castæ gloria mentis.
Ingeniis, opibusq; & tuta pace virescant
Oppida. fœcundis Bacchus virgulta corymbis
Induat, & colles generoso palmite adornet.
Horrea flaua Ceres non deserat. horrida Chiron
Spicula deponat gladium non stringat Orion.
Sibila desuescat geminas qui territat Arctos
Ore venenifero serpens. ne cornua capri
Aequora concutiant nigris horrenda procellis.
Non gelidis Aquilo, non vdis aduolet Auster
Remigiis. furor, & rabies Arctoa quiescat.
Dardaniusq; nepos iusta fata temperet vrna.
Euomat Herculeus placidas leo pectore flammas,
Brachia frigescant medicùm torrentia Cancri.
Non oleas quatiat lapidoso Scorpius imbre.
Dux ouium campos Phryxæo vestiat auro,
Erigone grauidis Autumnum interplicet vuis
Lætior. incerto nec langueat aëre tellus.
Dona decent aureas auro magis aurea thedas.
Quin etiam claro numerosa è sanguine proles.
Exurget, quæ fronte patres, quæ pectore reddat
Quæ serie æterna. splendorem in secla propaget
Et dotes vtriusq; domus. mirabimur ipsa
Tot Baptistigenas vnius ad oscula matris,

Inq;

Inq; vicem latos collo pendere paterno.
Dixerat & thalamis misit felicibus aurum.

In Driopeiam.

V*Ndè renidentes in me Driopëia uultus*
Verterit, inq; procis duxerit illa suis?
At nec amicitia ius fœdera iunxerat ulla
Non mihi mens adeó reptat inanis humi.
Forsan hebent oculi, nec labra tumentia vidi,
Et membra, & turpes me latuêre genæ.
Scilicet eximia cum splendeat inclyta luce
Anna, informe capit lumina nostra caput,
Cum similes astris oculos, par dulce, sorores
Gauacia moueant, me tua forma rapit.
Vnica virgineæ cum laus, & gloria turbæ
Virginea ingentes torreat ore Deos.
Et cui forma sacro nomen deduxit Olympo
Quæq; sua titulos Lucia lucis habet.
Quæ trahit ex auro nomen, cui clara decorem
Margarita animo par similisq; dedit.
Cum comes exuperet cunctos Violantis honores,
Ceu lunare inter signa minora iubar.

Deni-

Denique Casalicæ cum tot sint lumina terræ,
Vt voti impellar nescius esse mei.
Os animusq; vadis illisus inhæserit, vnde
Nulla reluctantem liberet aura ratem.
Non adeò premit incumbens caliginis vmbra,
Serpat ut in curas hæc quoque cura meas.
Quod tamen euinxi rubeo velamine suras,
Quod geminos habeăt vincula rubra pedes
Autumat insano torreri hoc pectus amore,
Nec memor illa mei nec memor illa sui
Quid misera insanis? quā mentē in somnia ludūt?
Corde gerā quod amē nō pede stulta premā.
Si caput ornassem rubeo, si corda colore,
Pollicitisq; daret robora firma fides:
Tu ridere fidem veluti periuria nostram
Debueras variis non male docta notis.
Vindictam dederit cum credulitatis acerbam
Gnossis in externo sola relicta solo.
Cur Medæa, vide laceret sua viscera ferro.
Causa mali fallax Aesone natus erit.
Et pietas fama tollit super astra perenni,
Qui recidiua manu pergama ponit ouans:
Nec minus et gladiū, et causā necis addit amāti
Carbasa cum uentis falsa fidemq; dedit.

Nec

Seu calor occidui Solis conterminus vrget,
Seu Venus è nostris edita fortè vadis. (me
Quicquid id est timeas, dubio pede currimus, &
Non benè prima tenet, sed noua cura diu.
At tibi mendosos texi Driopeia mores.
At volui vitiis te capere antè meis
Non ego sed stolidæ cepit te insania mentis,
Fæmineis hæret quæ comes vna choris.
Adde quod, et iuxta tua stat pomaria sedes,
Quò ruit vrbs plenis agmine tota viis
Sunt nè proci monachi, capitisq; examina cani?
Quæq; sacerdotũ hoc turba frequẽtat iter?
Quid dicam? felix ter. & amplius una, iugari
Cui cupit omne æuũ; quã cupit omne genus.
Communi sed cede via, liquidoq; patebit
Et procus, & fallax notus adulter erit.
Sed furio, tenerumq; animum lapidescere nostrũ
Crimen erit. si non hanc amo, marmor ero.
Si noua nupta mei non immemor illa, quid huius
Cum fastidierit ius sociale thori?
Lucis inops, & mentis eram; Driopeia, quẽ non
Mollities animi ceperat alta tui.
Forsitan errauit siquid dementia nostra,
Bosphorium liceat per mare ferre Notis.

Con-

Coniugio quamuis iam non dignemur, amabo,
Munere pro tanto vis dare munus? ama.

In Alaudam.

INgenii laudabat opes Saturnius ordo,
Ars erat in pretio maxima quæq; suo.
Nunc, vbi barbaries, & ferreus imperat horror,
Artis & ingenii degenerauit honor.
Forsan & inuita quòd non laudare nefandũ est,
Mente bonũ carmẽ subdola lingua probat.
Hic, quoque, quæ damnet, reperit mẽdacia liuor,
Et quæ non animo concipit, ille premit.
Sed nec mella ferant vndæ nec poma miricæ,
Nec vitium recti nobile laudet iter.
Cimmerias frustrà iuuat illustrare tenebras,
Duritiem frustrà ponere saxa iubes
Cimmeriis altè latet obruta terra tenebris.
Et silices animis, æraq; dura rigent.
Vidi ego, quam Lunæ auderes conferre puellam
Inserere in tenerum carmina nostra sinũ.
Et meritò, quis enim Philacëida nouerit vmbrã
Quæ vocat à Stygiis rursus in astra locis?
Quem tua Penelope, tangat, tua Portia uirtus,
Ni memor æternum Musa retexat opus?
Quis

Quis non vana putet? iuuat innotescere at ipsum
Authorem pellit saua receptat opus.
Ecquid inhumanus Scytha sauius auferit? ecquid
Sarmata belligeri sanguine latus equi?
Et mea Musa tua nectet mendacia forma?
Et vitia in laudes verterit illa tua?
Hac, infœcunda satis est cui gloria famæ
Monstrari digito prætereuntis, agat,
Non ego sum sterili qui mandem semina arena
Vndè nihil merita post modo falce metam.
At mea diuitias at poscunt carmina gemmas.
Carmē amas, me, nec sit leue munus, ama.
Horrentem mollire paro sed Caucason: Euris
Per mare Carpathium verba ferenda fero.
Vos quibus insanam pietas mouet irrita mentem
Artibus infelix excoluisse genus.
Parcite diuitiis, quid molle profunditis aurum?
Parcite verbosi sint satis arma fori.
Hoc decus, hic honor est ea sunt Parnasia Tempè
Sordida venali ducere probra manū.
Adde quod vnius spatio sis Manlii anni,
Sponte sua rabiē mens vomit empta trucē.
Impleat ante dies numeroso secula cursu,
Quam Clariū dexter pes Helicona premat.

Hinc tumet, & ludos grex cancellarius ambit,
Delatorq; petit primus vbique locum.
Margitesq; alter iuris tantum ore peritus,
Se cupit indignos, sollicitatq; thoros.
Et tumidus nata conuitia fingere dextra
Lædere virgineas non sinit vsque manus.
Nec deest, quæ media surgens lasciua caterua
Sustinet infames ponè mouere gradus.
Si moueat vel ponè gradus, sed & oscula dira
Cogitat. heu pietas quò muliebris abit?
Quam dextrã tangis, miserũ me, crimina sueuit
Scribere, quæ captas, oscula, verba locant.
Basia quæ spondet blandè luctantia, probra
Et rabidas iras vendere lingua solet.
Quæ simili potuit circumdare brachia collo,
Carnificis sæuas possit amare manus.
Sanguinis in pœnas vltrò irritare furorem
Sit pulchrum, inuita turpe necare manu?
Quis scit an innocum quoties oppresserit ille
Dixerit, hoc fassum barbara crimen amas?
Nec quam mentiris nutrix dedit vbera, nec te
Edidit humano nata sub orbe parens.
Te fera Caucaseis Tygris enutriuit in antris,
Sæua, decent mores corda ferina tuos.

Phasis

Phasis adulterio conceperat horrida talem,
Venit Hyperboreo durus ab axe pater.
Et laudabā amens (pudet ah pudet edere) formā.
Indè animo fastus incidit, indè tumet.
Quid frustrà exultas? & ficto credis honori?
Collige te, & speculum consule stulta, tuū.
Nec te Penelope moueat celebrata, lepores
Ora recantabunt quæ cecinêre tuos.
Teq; viris, ad quos viscato incedere vultu
Picta soles, faciam turpis Alauda palam.
Non Cibele totos venit vlla informior artus.
A medio Cibele, te lege, missa die.
Labra tument, ceu labra tument stridentis aselli,
Ore venit, qualem fundis Auerne, vapor.
Densa supercilia, coma rara, exilia crura,
Prodiga plāta pedis, dens niger, unguis hians.
Polluit at turpem faciem mens turpior ecce
A rabido uultu barbara pendet adhuc!
Quid precer? et pēnas neget iprobus anser, ad usus
Apta feros nulla canna palude tremat.
Iustitium premat æternum fora garrula, nullus
Conducat rabiem, iurgia nullus emat.
Tunc malè consulti rabiem experièris amoris,
Tunc calamos turpes, et probra sola gemes.

Sic erit, inuisæ mundus teret otia pacis,
Illisa infelix guttura frange pecus.

De Stephano Guatio.

MEnibus montes Tyrios canora
Iußit Amphion cithara iugari.
Arduas rupes dedit asper vltro, &
Saxa Cythæron.
Thracium siluas temerè insequutas
Ismarus vidit, Rhodope leones
Misit, ad vocem stetit inquieti
Impetus Hebri.
Turba mitescit fera, molliuntur
Saxa nec duros adamas rigores,
Sæua, nec ferrum Guatio canente
Pondera nouit.
Ille siluestres animos ab omni
Vrbe depellit. Ioue mutat ille
Aureo dirum minus improbante
Lumine ferrum.
Impio sidus pereunte seclo
Gestit Astrææ recreare gentes.

Aethera, ò vates reducem, deosq;
Ritè canamus.
Ritè phœbea Guatius corona
Clarus inferno fide ianitori
Blandiens aurea; tria colla liuido
Exuet Hidro.
Exuet viua Furias echidna,
Exuet flamma rutilam Chymaram.
Centiceps olli furiale ponet
Bellua virus.
Haud canis damas inimicet atrox,
Haud lupi fraudem rabies ouili
Cogitet. fortes sinè ui leones
Cum boue ludant.
Hoc duce à lætis Heliconis oris
Turba demigrat viridis sororum,
Euasianam duce quo frèquentat
Cynthius vrbem.
Lenis hîc Cipris, Charitesq; nexu
Soruere ignara manuum decoros
Et Iocus miscet choreas Amorq;
Ignibus ardens
Flammat æterna facis oppidanos,
Flammat agrestum fera corda telo

Carior Clio vigeas vt orbi
Omnibus annis.

Ad Io: Mathæum Vulpium pro fœminis Apologia.

VIribus infirmis pondus ferre exigis impar,
Quodq; vel ingeniũ grande recuset opus.
Magnũ opus at teneras defendere suaue puellas,
Aggredimur, sed quod, si capis arma, cadet.
Quid faciam? horresco male grata crimina mẽtis,
Nec licet à iußis abstinuisse tuis.
Hinc contrà te stantẽ, animus tela abiicit vltrò,
Cũ uidet. et nutat mens, vouet arma manus.
Spes subit, aspicio cum iustæ robora causæ,
Ingenium video cum tamen illa cadit.
Nunc Venus Idaliũ, nũc ardua linque Cythera,
Pandite Castaliæ nunc Helicona Deæ.
Victor io causam (liuor licet audiat) æquam
Obtineam, nimius me nisi fallit amor.
Ipsa licet contrà stet Mantua, Mantua cedet,
Smyrna tuo, Vulpi, cedat ab ore sonans.
Fregerat armillas Tyrioq; infecta veneno
Tegmina, qui tota monstra fugarat humo.

Scilicet

Scilicet Herculeæ decus insuperabile molis
Non facit ad Coos, res velut arcta sinus.
Sic Ioles niueam magno pede rupit alutam:
Vi preme frangetur pondere virga tuo.
Nõ minus inualidam perdant tua robora causã.
Obstent ingenii flumina visq; tui
Me quoque principio inuasit mala pestis, eramq;
Ausus in electum fundere probra genus.
Vidit, & ex alto miserata est Cypris Olympo.
Et meus, & vates sis malè sanus? ait.
Hinc super attingens sacra mea pectora myrto,
Sanus eris, dixit, nec mora, sanus eram.
Tum verò excußa patuit caligine campus,
Et seges in laudes ampla puella tuas.
Adde quod Aonides pro se descendere in æquor,
De se certari quod Venus alma putat.
Quod mihi sunt testes, quæ si genus omne profani
Fœmineum sceleris dira litura notet:
Se tamen harum vna poßit virtute tueri,
Et macula in ventos irrita tristis eat.
Virgineam melius nec fas ostendere laudem,
Aspice virgineam, quem iuuet illa latet?
Pro me stat splendor veri Veronica, pro me
Quæ tenet à claro pectore Clara decus.

Sed ſcelere Oeclides nuptæ terra obrutus olim
Armato Stygiam funere turbat humum.
Vt ſileam ſanctæ quæ per mendacia telæ
Reſtitit innumeris intemerata procis,
Flagitii macula quota quæque notabitur? vna
Scilicet vt Phœnix hæc erit inter aues.
Illa necaturos interrita ſorbuit ignes,
Indignata viro deficiente diem,
Mauſolæa caput moles ſublimibus aſtris
Inſerit; hanc laudem fœmina fortis habet
Iura pudicitiæ ſeruaſſe Lucretia monſtrat
Obteſtata virum ſanguine; mente Deos.
Aemonis AEMONIIS *comes vltrò adiūgitur vmbris*
Quid? quæ, ne pereat vir ſuus, ipſa perit?
Gloria ſublimis tunc demum Euenidos Orco
Mergetur, merget congrauis hora diem.
Prætercam ne thorū Gracchi ſobolemq́; Metelli?
Prætereamne tuum, Iulia caſta, decus?
Non exempla tamen veteris res exigit æui
Aetatem hanc Vulpi, reſpice, victus eris.
Anna Valentinos Lanæ decus auget honores,
Progenies matri par ſimilisq́; piæ eſt.
Quid veſtrā Guglielme domū memorabo? decorāt
Quā tua, ceu Charites, nupta, duplexq́; ſoror.

Extu-

Extulit vt Stanchos inter capita alta Matheus,
Sic inter clarum clara marita genus.
Icario signet ritu mare, pectoris omnes
Qui numerare tui Furnia tentet opes.
Si memorare tuam calor hic sit, Apostole, nuptâ,
Obiiciet meritò Vulpius esse Deam.
Nomen idem concedet idem tibi numen, honesta
Si Daria tuum per decus ire iuuet.
Cum Lusitanæ sciat hæc insignia gentis,
Sitq; velut nostris sors data priua pudor.
Dissimulem triplici benè te cum prole, Beatrix,
Amplifices patrium tu licet vna decus.
Quid tamen externas amor est errare per vrbes?
Euasias arces aspice mutus eris.
Virtutum omnigeno radiatur Ianthis honore
Ceu lunare inter signa minora iubar.
Ore venusta graui stat gratia grata venustas
Induit, & castas purpurat igne genas.
Astra videre putet nitidos qui spectet ocellos,
Talis in arguto fulgurat orbe nitor.
Quale micat rubro quæ nascitur æquore gemma
Cui mira accessit Dædalus arte labor.
Quis sit in cessu decor aut quæ gloria totam
Vestiat ambrosio quis fluat ore liquor,

*Non curram si Smyrna suas, & Mătua palmas
Deferat, & totum dent Heliconă Deæ.
Nec fera, quod stolidi mentitur opinio vulgi,
Prælia cum sancto forma pudore gerit.
Oris honos niuei niuei quoque pectoris index,
Ora decent certè turpia turpe nefas.
Si tamen obiicies vnam hanc è semine cretam
Sidereo, & nullam dixeris esse parem:
Confitear. nec enim labor est mihi vera negare
Vnica sit cæli laus, sit Ianthis humi.
Quid? si procedat pulcherrima Margarita?
Quid? si par facie, par animoq; soror?
Inueniet liuor quod in his configere crimen
Possit? at igniuomas stat decor antè genas.
Quid generosa tuas referam Cornelia dotes?
Quid Francisca tuas? Quid Leonora tuas?
Hippolitis adeò pudor est innatus, vt altum.
Hippolita nulli fas tetigisse decus.
Nec quot parua gerat decurram corpora puluis,
Sidera nec summi sit numerare poli.
Monstra nec expediam spatiosi immania ponti,
Othrus habet pinus, nutriat Ossa feras.
Nomina nec generis liceat decurrere lecti,
Copia iudicium territat ipsa meum.*

O si Bacche animum tota dignabere Nisa,
Descendat totus pectora Thyrsus in hæc.
Fortior incumbat Pæan, cætusq; sororum
Centum centenis soluerit ora sonis.
Non ego Thebanas acies, non Troica verbis
Instruere enitar castra, manusq; meis.
Sed genus electum tumido celebrabitur ore,
Nomina virtutes, gratia forma manus.
Nec graue, dum talis per mille pericula uadam,
Gloria per durum fortis anhelat iter.
Aspice virtutum veneranda examina, Vulpi,
Quis sinè sit nostrum viuere turpe genus.
Cecropios decorat latè sapientia campos,
Quam si demis, erit, quid nisi luctus, humi?
Quid? non & magno victoria parta labore,
Vitaq; fœmineis additur alma choris?
Hûc spectat toties homini quæsita voluptas
Hûc mens, hûc pietas, hûc venerãda fides.
Ipsa etiam hoc cultu Natura, et nomine gaudet,
Quæ totam variis dotibus ornat humum.
Prima parens orbis fons, & seges vnica rerum,
Quem latet? est populo duxq;, comesq; suo.
Nec me sollicitat, quod dira superbia sanctum,
Cum sena inuadat prima sorore genus.

Quid

Quid mirum si vrtica rosæ contermina surgit?
Si violas inter carduus horret atrox?
Illa tamen pœnas presso dant agmina fastu,
Ferro onerata manus ferro onerata pedes
Hei mihi si dubiũ est homini, cui debita palma
Præmia, quæ bellũ dextera triste premat.
Nec reor in sanctum referẽda hæc nomina sexũ,
Cum scelus aßignent, flagitiumq; notent.
Sed facit infausto Troiæ ostia linquere velo.
Et maris alta sequi stagna Lacæna Parim.
Quam fallax hominum sententia, crimina sancto
Heu generi sunt et fulmina nostra damus!
Si malus oblatum templis fur auferat aurum,
Et spoliet sanctos dira rapina Deos.
Relligio te iure decet contemnere, cælum
Quod gemmarum igni, diuitiisq; colis.
Scilicet Æsoniden elusit Phasias? Bacchum
Erigone? falso Leda in olore Iouem?
Virgo Deum insidiis Sidonia cepit eundem,
Et freta mentita vexit in alta boue?
Si Paris Argolico non tingeret æquore pinum:
Isset in Iliacas hospita nulla domos:
Furta Mycænæo si redderet ille tyranno,
Perforet Hectoreum Pelias hasta latus?

Non

Non semel offensas vrgens Deus ultor, eodem
Supplicio nocuos innocuosq; premit.
Troia cadit, Priamo insultat genus omne ferarũ,
Conterit innumerum Troia busta pecu.
Andromache Pyrrhi conscendit capta cubile,
Latratu Andromaches prouocat astra socru.
Aeacidæ sæuos aspergit sanguine manes
Virgo, facit labes quos notat una pares.
Sic Lartiades sentit sic sentit Achilles,
Sic pius Antenor Ascaniiq; parens.
Teste viro seruat sanctum Lædea pudorem,
Quantum ad se Pylio teste pudica fuit.
Græcia tota probat, Naso quoq; crimine soluit,
Improba iudicio nec fuit illa meo.
Libera mens peccat, quæ ni malè sentiat, artus
Damna ferant certè pectore crimen abest,
Nec Laertiade nec forti es maior Achille,
Nec Pylium vincis corde, animoq; senem.
Venit in Atridæ rursus Terapnæa cubile:
Pergama, quod furtum detinuêre, iacent
Par sceleri nempè est scelerum defendere culpas
Quæ notat authorẽ fraus, comitemq; notat.
Nunc age: quid sceleris fecit Lauinia? crimen
Turne tuum, crimen Dardane sæue tuum.

Quid

Quid tibi cum teneris annis, cũ virgine Mauors?
Nos, nos fatiferi mouimus arma Dei.
Pergama nec virgo, nec virgo Daunia curat
Regna, patri tantum cura placere pio est.
Oris opes aliquis, velut irritamina damnet.
Informes idem riserit vsque genas.
Naturæ quasi dona nefas sit habere quid obstat?
Nequitiæ miseris fax nocet vna viris.
Sacra tulit, medioq; Deos ex hoste recepit,
Dicitur & flammis eripuisse patrem,
Dat gladium & causam Phœnissæ funeris ille
Vt tua dissimulem probra scelusq; Phaon.
Adde, quod alitibus Minoi, relinqueris esca.
Hæc violasse gemit Demophoonta fidem.
Hypsipilem matrem, matrem te, Phasi, reliquit,
Insanam primus qui rate mouit aquam.
Quot sub frode latẽt volucres, quot littora fluctus
Curua petunt, tot vir cinctus vtrinq; dolis.
Nec mirum vir liuor edax, vir morbus, & angor
Attollit miris pallida membra modis.
Denique, siquid erit quo corpora nostra grauẽtur
Mas erit, aut certe fœmina nulla feret.
Nec præbendum aures. quod vulgi fabula fingit,
Vt maculet sanctum, conscelereta; genus.
Quod

Quod variet notat, & mutabilis erret vbique
Fœmineus (populi iudicat error) amor.
Infelix laudas vitio quod vertere mens est.
Accipe quid sacro Tullius ore tonet.
Consilium mutare licet pro tempore, nulli
Hoc nunc, inde illud voluere, crimen erit.
Nec modò consilium renouat sapientia, mutat
Et natura suas (quis neget?) ipsa vices.
Horrebant, quæ nunc splendescere floribus arua
Aspicis, horrebit, qui modò floret ager.
Nunc grauidæ largos nubes soluuntur in imbres,
Flumina nec turgens alueus alta capit.
Nunc caligantes abeunt in tenuia nubes
Vellera, nec ripas amnis vtrinq; lauat.
Itq;, reditq; viam claro sublimis Olympò
Cynthius, effulgens itq; reditq; soror
Cedit & autumnus brumæ, ver deserit æstas
Nec redeat quæuis transiit hora semel.
Omnia mutantur, nec eadem corpora sede
Nostra manet, oriens sol quoq; manè rubet,
Cum medio fuluos in vertice librat Olympi
(Ceu stet) equos claro lucet in orbe dies.
Ipsa astra ipsi orbes omnes mutantur in horas,
Nec rerum est idem, qui fuit antè modus.

Continuat, variatq; vices in funere easdem,
Nō una in cunctos mors iacit arma manu.
Hos febris enecuit, pars occidit altera bello,
Passa est hirsutas frigoris illa minas:
Vertitur & letho corpus. primaq; figura
Deposita formas Mors dat habere nouas.
Ergò Naturæ si qua est constantia pugnat.
Proq; suo instabilis tempore doctus erit.
Cur tibi consilium pacis mutare petita
Appi? cur Romam sumere tela iubes?
Hanc, quæ tela sibi quondam nocitura putauit,
Non aliò melius uertere iura sinant?
Pergite, ceu facitis, noua floret amænius arbos,
At vetus amißa marcida fronde gemit.
Gratius in rebus nihil est nouitate, repelle
Tædia perstando dura, repelle tui.
Fallacem infelix dimittat Iasona Phasis,
Aegiden spernas tu quoque Gnoßi, tuum.
Non deserta tremas velucres in littore diras,
Phasis in Aesonio nunc sit vt antè sinu.
Spernitur, atque animis breuiter fastidia miscet,
Quæ venit ex facili lecta corona iugo
Tu modò dißimula, simula modò callida flāmas
Contemptus noto sæpè ab amore venit.

Tor-

Torqueat iſta virûm fallaces cura medullas,
Spemq́; inter dubios flãma metũq́; coquat.
At defenſori, manus inclyta, parcite veſtro
Qui prodit cauſam nè cadat iſta, ſuam
Hûc paßim ſi noſter amor vagus errat, & illûc.
Nullaq́; nil ſemper, cur ego tangar, habet.
Non veterẽ noua cura tamẽ fugat, hoc quoq; pſit
Quod tuor, & partes ſæpè rogantis ago.
Frena, nec indignor licet aſpera veſtra ſubire,
Nec mihi dat nimium tædia ſæuus amor.
Tu quoq; quid ſpectas? pigeat quòdã optime Vulpi
Cum genere electo conſeruiſſe manum.
Acer eras, quamquam ſtabas inuitus in armis.
Quam timui, caderet nè mea cauſa tamẽ.

Explicit liber tertius.

MICHAELIS GASPARIS BELTRANI LVSITANI

SILVARVM LIB. IIII.

De Guidone Ferrerio Cardinale Vercellensi, & Latij Legato.



Vid vatem subito subleuat impetus
Insuetum per iter? fallor? an arduus
Motum raptat Egyeus
Oestro pectora Laureo?
Mœrebat memini, nuper at aridis
Penei nemoris gloria frondibus,
Non testudinis Arcas
Inuentor catus aurea
Rumpebat solito more silentia,
Clamabam Clarium numen, & irrito
Surdas ore sorores.
Nunc se floribus induit

Latè

Latè silua nouis Laurea; nobile
Virus Castalio redditur aggeri.
Nullis inuida gemmis
Tempe sidera vestiunt.
Plectra insueta mouet turba Heliconia,
Et sacri reserat culminis abdita.
Non si pectore centum
Voces rumpere Delius,
Concedat seriem promere temporum,
Aut rerum valeam. sic grauat impotens
Mentem copia primùm,
Hinc, fructus vetitos patrem
Audaci video sumere dextera.
Quid mater, miseros impia filios
Letho mergis acerbo?
Hidra tu Phlegethontia
In labem generis curris atrocior
Humani. at grauidam numine virginem
(Nec lætabere longùm
Semen flebile Tartari)
Mittet cœlicolûm rector ab æthere,
Contundat pedibus quæ caput impium.
Heu, quot marmora ventis
Nigrescunt! fera sæuiunt

Orbem monstra Erebi mergere fluctibus.
Ast agmen niueum palmitis insitor
Aspirante potentis
Aura numinis eruet.
Vndè aures gemitus perculit? Isaci
Gens (heu) sub Pharia compede inhorruit
Duri iussa Tyranni!
Lætare o genus inclytum,
Vatem rex hominum maximus excitat,
Qui te seruitio mox inamabili
Per deserta reducat
Nulli peruia liberum.
Num claro referam quem diademate,
Deductum stabulis, arbiter igneus
Donauit? superiq;
Plectri iura potentia
Adiungens geminis clarat honoribus?
An luctus Solymæ, qui miserè ingemit?
An qui sidera curru
Correptus petit igneo?
An lustris auidæ quem Babiloniis
Expauêre feræ? trux neque tangere
Ausa est ira leonum,
Cum ieiunia soluerent

Artus,& rabies surgeret horrida
Inflammata fame? ludor? an æneos
Vis Vulcania nodos
Consumpsit,nec eburnea,
Naturæ ueluti nescia, lædere
Tentauit iuuenum pectora? scilicet
Mens cœlestibus ardens
Aestus reppulit æstibus.
At Petrus supero lumine fulgidus
Prisca inter radios nomina diuidit,
Ceu Latonia fulget
Inter sidera Cynthia.
Hîc agmen Tyrio murice splendidum
Hîc cœtus niueis candidus institis,
Omnes tempora lauro
Euincti,manus omnibus
Elæi radiat munere præmii.
Quis digno Gregorî maxima barbito
Ausit facta referre?
Quis te Carole transeat?
Insignis supera Carole purpura?
Insignis parili Lauree gloria?
Herbam,Roueriosq;
Gemmanti caput infula

Ornatos tenebris iura silentii
Inuolui prohibent, enitet inclytus,
Stirps Ferreria uittas
Inter sidereas Guido.
Non alter supera uim sapientiæ,
Secreta ætherei doctior arbitri
Scrutari, neque nodos
Iuris soluere cautior.
Sacris Roma potens pectora honoribus
Vidit plena, sacra fulgere purpura
Iussit. Cerberus ingens
Fasces horruit integros.
Non mentem Gregorî præterit arduam
Sacrarum series optima dotium,
Mox Laurentia nouis
Mandat pondera uiribus.
I nunc, & celebra temporis aurei
Mores, facta, viros nempe recentius
Stirps Ferreria lustrat
Aeuum lampade duplici.
Ergo perpetuis, qui uaga temperas
Ingens imperiis secula, territas
Telo corda trisulco,
Tu curam gere præsulis.

Tu maior supero, ceu decet, in throno
Regum contuderis colla minacium,
Fractis parcere, & acres
Suetus frangere spiritus.
Ciuiles animos ille coerceat
Iudex Cæsareis legibus integer
Voci pauperis aureis
Non duras bonus applicet.
Dilectis furias ille ab ouilibus
Expellat, solio donec ab entheo
Petri iura per omnes
Gentes cœlica fuderit.

Ad Io: Stephanum Cottum.

P*Hæbe, qui Xanthum colis Hippocrenes*
Spiritus imples vada multiformis,
Laureum motas nemus, asperasq;
Numine rupes.
Pelle mortales mihi corde curas,
Ferq; Dircea per inane penna,
Raptor? an ludit furor inquieto
Aureus æstro?

Raptor in nubes, & amœna Tempe,
Maior humana facies pererro:
Mugiunt aræ: fremit vnde quaque o-
Racula silua
Abditum quales penetrale claustris
Indicat motis iuuenum figuras!
Quas nec audaci cariosa uexet
Dente senectus,
Nec Iouis flamma iaculum trisulca
Perdat armatum, nec acerba ponti
Ira. iocundis meliora nectunt
Secula seclis.
Ille flagrantis rabiem Chymeræ,
Ille Centauros domuit triumphis
Efferum iustis genus, ille misit
Gorgonas Orco.
Isthmius clarat labor hunc, Idumes
Alterum blandæ foliis adornat
Elis, huic seni, totidemq; signant
Astra labores.
Candidus nostri iuuenescit æui
Ordo distinctus varia corona
Laudis argento veteri pioq;
Clarior auro.


Fulget octaui radians imago,
Fulget & fratris decor altus, ille
Cinctus Astraeæ radiis, hic alma
Tempora lauro.
Indè cui felix titulos Ginodum
Duxit insignes Stephanus frementem
Implicat duris Erebum, Necisq;
Monstra catenis.
Guatius plectrum mouet: & profanum
Semen, & stirpes animi tenaces
Vellit agrestis. veneranda passim
Secula surgunt.
Se velut magni Iouis ales effert
Fama Bellanæ, decus occupauit
Campius clarum, similesq; Lanæ
Iactat honores.
Cotticæ gentis Stephanus decorem
Auget ut plena face Noctilucam
Frater, ut totum radiis repleuit
Omnibus orbem.
Vendicat Martis caput hoc coronam,
Vendicat Phœbi decus. inter omnes
Alma virtutes pietas, manusq;
Larga relucent.

Qualis in fratres Proculeius, altus
Aut Alexander. nec in arua nubes
Cum Noti sæuit rabies remittunt
Largiùs imbres.
Callidus legum reserare mentem,
Doctus artanas reperire gemmas;
Iuris abstrusi Cialetus indè hunc
Suspicit vnum.
Pectus idcircò tibi, Cotte, iunctum est
Vellii firma fidei catena,
Gnoccus, hînc nulli studio secundus
Martis adhæret.
Addidit Pennam, tibi dulce magni
Sanguinis lumen, cui Roma cari
Iure conceßit pecoris tueri, &
Flectere habenas.
Hoc tibi Phœbum dat, Apostoliq;
Corda Phocæo studiosa nexu
Arctat, hoc vinclum retinet Masini
Pectora nostri:
Gloria cincti varia Masini
Quem mihi nodo pius alligauit
Aureo Pæan, fideiq; candor
Simplicis ardens.

At

At ſit Hircanas numerare Tygres,
Belluas Ponti, Lybies arenas:
Nec ſit amplecti numeroſa magna
Lumina mentis.

In Auguſti Gulielmi Campij filij ortus.



I quis in æthereos conſcendere nititur orbes,
Quidq́; dies ventura ferat, quid ferrea Cloto,
Cogitat, eq́; ipſa mundi vertigine rerum
Coniicere euentus amor eſt, menteſq́; Deorum
Scrutari, & latè venientia prodere fata.
Sidera nunc tempus penetrare, arcanaq́; cœli,
Summáque ſtelligeri faſtigia ſcandere templi:
Grande parant ſuperi rebus decus addere noſtris
Et pulſis vtroq́; dolis a cardine rurſus
(Occaſus varii ni fruſtrà ſideris audax
Sollicito Babylon radio ſignauit, & ortus)
Aureus humano generi promittitur ordo

Seclorum, sobolisq; nouæ noua gloria mundo
Exoritur. vos, si merui, concedite vires
Thespiades cantusq; nouos, non horrida semper
Grandine terra sonat: cursusq; immanis aquarũ
Frænat hyems ponũt vẽti, et maris vnda vicißim
Quæ modò surgenti vexabat nubila dorso
Sternitur, & nullis agitata remurmurat Euris.
Euocat in florem leuis aura, Fauonius, herbas
Et rediuiua nouat morientem gratia campum
Nec mihi perpetuùm vanas Elegëia curas
Hauserit, & mentis malè sanæ indulserit igni.
Scilicet & nobis maculosam euadere terram
Aeternumq; solum stellis ardentia regna
Mæonio penetrare gradu datur accipe uatem
Musa, tuum rege Musa tuum feror arduus altas
In nubes celeresq; ferunt per deuia venti.
Ecce vagæ spatiis properant æqualibus Horæ
Sidereas aperire domos, & flore refertam
Aulam, atro video noctem descendere curru,
Et piceæ tenebrosa manu deponere fræna.
Clarior in portus oriens inclinat Iberos
Lumina, & instãti magnũ parat æthera Phœbo
Lucifer vt claros solito fulgentior arcus
Induit, ut quinto Erigonen illuminet ortu

Delius optatam cupiens transcendere metam!
Quis procul ille autem flammis insignis, et auro
Irradiat? nosco: quondam contraria magno
Alcidæ in medii fastigia Cancer Olympi
Brachia iactat ouans, præcurrentesq́; lacessit
Tyndaridas, cursuq́; iuuat superasse leonem:
Iam nullas animo cædes, iam nulla leonem
Bella retentantem, nec formidata lacertis
Herculeis quondã, ora rigẽt, micat ardua ceruix.
Pectora maiestas totos infusa per armos
Conuestit generosa iubæ. pro fulmine prisco,
Vnguis Erythræas miro gerit ordine gemmas.
Mistaq́; terribilem mollit clementia formam.
Terga pmit, manibusq́; iubã, ceu fræna, retractat
Alma Venus, mulcetq́; ferũ. comes ignea Phœbe
Additur, atq; unà fertur: gemino ille superbit
Pondere, contiguo nec cedit Virginis astro.
Illa licet flammis Hyperionis ardeat, illam
Induat ipse suis Mauors spectabilis armis.
Tendit in Oceanum miserandæ proditor Helles,
Et veluti numquã dimisso fulgurat auro,
Arduus Europe sequitur vestigia vector,
Mugituq́; nouo radiantia prouocat astra.
Nec solito de more boant supera atria, surgit
Et

Et Chorus, & choreæ, cantus & vera voluptas,
Hospita rara soli, conatur ab æquoris Hirco
Saturnus reuocare gradum: superûmq; triumphos
Inficiat, nisi dira graues incepta catenæ
Impediant, cæliq; vetent remeare sub axem.
Ipse etiam Stygia nisi lex Phæbæa negaret,
Sede remigraret Cyllenius ales, & ignes
Viseret aurai melioris, at arbiter anni
Tænarias quoniam fas nondum euadere ripas
Natus habet. latè superos patefecit honores.
Gaudet Atlantiades, & quod licet, impulit imos
Cælesti nouitate locos. sortemq; futuri
Vt didicit secli (Parcæ nam Ditis in aula
Aurea ducebant concordi stamina fuso)
Exilit, & tota concepit gaudia mente.
Impleuitq; polũ sed quid procul ingemit, heù quæ
(Me miserum) inuadunt suspiria? scilicet istam
Sidera lætitiam hæc summus promiserat æther
Munera? nepe sonos animæ, pars maxima nostræ
Lugubres geminat Gulielmus, & ore dolores
Mutato præfert magna, nisi fallimur, Anna
Nupta fatam paruura vocat: lenire piosq;
Pone metus iam iam nexu sublime remisso
Edet onus, natoq; tuos Isabella penates

Cla-

Clarabit, qualis cœlum Cibeleia mater
Illustrat partuq; Iouis tumefacta superbit.
Tu quoque quid dubitas? stellantia desere regna
Diua potens vteri, nexosq; resoluere partus
Veloci festina gradu delabere sola,
Sola duas seruasse animas dicêris in vna.
Aspicis, heu quantis teneri cruciatibus artus
Vexentur? quantus vellat præcordia morsus?
Te vocat, auxiliumq; tuum conclamat vterque:
Ille animis æger, concussa doloribus illa.
Labentis miserère viri, si nulla maritæ est
Gratia, non illi stat parcere, parce puellæ.
Vnde sonat moto stellatum cardine templum?
Purpureos agnosco sinus, radiataq; flamma
Tempora vitali, venit Dea lucis, opemq;
Admouet, & tacita mouet auxiliaria mente
Carmina queis diros illæsa remittere fœtus
Viperæ genitrix sobolis queat, excute pulchros
Corde metus, Gulielme, uiam, qua prodeat, infans
Quærit, & afflictæ matris mulcere dolorem
Ingentem. prodit prodit (nec somnia ludunt)
In lucem puerætheream, vagitus ad aures
Fertur, io vinclis Isabella leuata solutis
Iam fruitur (Dominæ gratare) puerpera voto,

Vt

Vt secura suos fructus, gentisq; tuetur
Incrementum ingens! liuor male rumpere docta
Ore meo maiora fide cecinêre sorores,
Vera quidem, & totũ meruerunt pectora Phœbũ
Spirare. & sanctos Heliconis ferre tumultus.
Nempè tibi florent campi, qui iure dederunt
Nomina Castalii, tibi se, Gulielme, Camenæ
Insinuant. mentemq; istam cœlestibus ardor
Pierius stimulis agitat. viden ardua frontis
Sidera? vt Ogygio laus corporis æmula Baccho
Gloria nec Phœbo cessura renideat oris?
Quæq; olim Clario latè insanibimus astro.
Et mihi maiori vero fama ore Deorum
Tollere natales non desinet? huius in ortu
Impendit Natura diem, tardusq; profundo
Sustulit ambrosios Titan de gurgite currus.
Alter olorino consurgit, & alter ab ouo.
Transiit in patrem (Semele dum credidit hosti,
Concidit, & stolidis arsit temeraria votis)
Liber, & impleuit decimi rata tempora signi.
A pluuio iuuenis micuit Danaëius auro:
Crimine felices miserarum, aut clade parentum
Aethereum vidêre iubar. tu fœdere sancti
Conceptus thalami, nullo cum crimine matris

Exor-

Exoreris, clarum generis decus, vnica secli
Fama tui: carus diuis, cui numen Olympi
Omne suas properat certatim infundere dotes.
Incipe iam placido genitricem agnoscereri su,
Sancte puer, colloq; libens pendere paterno.
Tempus erit, cum Sidonio conspectus in ostro
Iure datas vrbes frænabis, & oppida nulli
Inuisus, patrio populos, & mœnia curans
Affectu magno numeret sed in æthere stellas,
Hircanoq; in mōte feras, quot in æquore Protheus
Nutriat ambiguus pisces, quot corpora puluis,
Silua habeat frondes, lateant sub frondibus alæ.
Qui puero promissa nouo comprendere verbis
Donaq;, virtutumq; decus, mentisq; decoræ
Lumina contēndat. non si mihi Mantua nectat
Fortis odoratam de virgine fronde coronam.
Incidat vlla animo tanta fiducia laudis.
Sed quoniam portu decessimus, & leuis inflat
Aura sinus. dabitur celeri decurrere puppi
Marmora, nec terræ nisi lætam aduertere prorā
Virgineas inter flammas, & Scorpion acrem,
Sideribus notus locus est, vbi Dædala rerum
Aequali Natura iugo nascentia pendit;
Assueuitq; suos animis afflare calores,

K Pro-

Pendeat undè hominis fatum, rem nomine signāt
Cœlicolæ, libramq; vocant. hac sede diurnum
Exæquat spatium & noctis Latoius horas.
Prima oculos duri perstringit lumine ferri
Pars scelerū, quam dirus amat Saturnus, Amorq;
Impius, Errores, Tenebræq; , Odiumq; paternum
Fumantem Stygiis intentans lampada flammis
Incipiunt tamen effrenos vincla ærea motus
Expugnare animi, turpiq; resistere fraudi.
Conāturq; patris patriæq; reducere amorem.
Argenti fulgore iugum sublime renidet,
Atque immortali distinctum internitet auro
Examen quod diuitiæ fastusq; sequuntur
Lumina purpurei celebrisq; insignia palmæ,
Et quam non faciles tam dextræ præpetis alæ
Semper honore viæ. natorumq; inclytus ordo
Pendet, & ingentis nunquam grauis exitus ausi.
Pulchrius æterno lanx dextra fulget in auro,
Vltima pars libræ, positisq; ex ordine gemmis
Fulgurat, & vario exhilarat supera alta decore
Vendicat hanc propriamq; vocat Rex ætheris. illa
Nititur & Virtus, & Rectum, & Gloria lāce;
Et castigatæ diuina Modestia mentis:
Cui comes Imperium iustis venerabile terris,
Nec

Nec de præcipuis exundans gratia riuis:
Debita sanctarum nec abest Reuerentia legum,
Parua tamen quà nexa iugo committitur audet
(Quò nō liuor adit? numeris nihil oībus usquā
Absoluit Fortuna, omniq; ex parte beauit)
Nequitiæ sordes alienæ inuadere cæcis
Insidiis frustrà. sed quæ, si pellere tentes,
Vel leuiter cedant vltrò. septena vicißim
Numina dispensant tali mortalia libra.
Perq; domos errant bis senas. Iuppiter orbem
Nunc regit. imperiumq; suo bonus obtinet anno.
Lege tamen. non hoc alter data fræna ministrat
Mitiùs, aut cladi studiosiùs eripit orbem.
Ille patrem quamuis regni sua tempora cedant,
Implicat, & nodis terræ nocitura coercet
Brachia, & impietas iure impietate domatur.
Inuita vix prima manu gestare videbat
Purpureum messis Lyseia sceptra parentem
Cum rectorem anni posita feritate recepit
Scorpius Autumnum coctas moturus in uuas.
Bis sex, & totidem sedes habet ignea metas
Iustiùs ut soles, & noctis digerat vmbras.
Hora tenet, volucresq; habitant æquale sorores
In spatium diuisæ, illi subit illa, nec vltrà

Vlla sui metam imperii ius proferat. vrget
Cura omnes eadem: tanta est concordia regno.
Emeritos Phœbi lauat vltima fonte iugales
Oceani extremo. depellit prima colorem
Rebus, & obscurum tenebras impellit in orbem.
Ergó vt Phœbaeos bis septima sumeret arcus
Diua, rotasq; Dei, propior transferret ouantes,
Deerat iter medium. roseo Saturnius ortu
Clara salutiferæ referebat sidera frontis,
Sidera, quæ nubes, caligantesq; procellas
Discutiunt. rutilis Chelarum amplexibus orbem
Portitor exhilarat iam mitior. ille potenti
(Tãta Deo pietas) modó natũ ad pectora dextra
Admouet infantem, libraeq; imponit in auro.
Talia deinde refert. Siquid meret ignea virtus,
Missa per innumeros siquid clementia patres,
Dignus es insigni gemmatæ munere lancis.
Atq; ideó quamuis illustre Georgius addat
Nomen, & omen auus, qua non Romana tyranno
Maiorem inueniens quondam sapientia laudem,
Traxit ab augustis augusta vocabula templis,
Lætus habe. mensis tuus hoc, tua fata dederunt,
Et virtus innata decus. te fama perennis
Attollet, licet infesta caliginis vmbra

Ingruat, & nocui tibi pars concesserit æris,
Rebus adimplebis quam præfers nomine mētem,
Et patrios (si fata sinat) augebis honores.
Dixit. & ambrosia perfusum reddidit orbi.
Dicta Iouis triplices confirmauêre sorores.

Ad Ioan. Fran. Apostolum.

PER Phaethonteos delabere littera fluctus,
Littera non animi falsa ministra mei.
Nec procul hinc alueo cum læta ferêre secundo
Occurret patriæ dulcius ore iugum.
Dulce iugum, validi sedes Mauortis, adire
Ne dubita, nostrum est vndiq; dulce iugū
Fuluius haud læua fundauit præpete muros,
Ille vrbi nomen, principiumq; dedit
Nunc quoq; cum magno Tyberis concessit Ibero,
Et Padus Hesperias sponte secutus opes.
Submouet aduersos inuicta Valentia Gallos,
Altera nobilitas nominis inde venit.
Nullus in insigni qui te fastidiat arce.
Nulla tibi in tota clausa sit vrbe domus.
Seu Tartesiacas lustrabis lumine turmas,
Dic, nos parua licet, pars quoq; vestra sumus

Incola seu uario decurrerit agmine, clama:
Nec pigeat patrium voce referre decus.
Candidus expaßis captabit Apostolus vlnis,
Teq; suo referet, ceu pater vsque sinu.
Non aberit nostræ reparator Lana salutis:
Delius ille mihi, Delius ille tibi:
Nec mora, quid faciam solita pietate requirent,
Viuere dic, letho sed grauiora pati.
Spiritus in tumido stat gutture læsus, & auras
Parciùs accipiunt pectoris ima leues.
Ne dicam, misero vox vt vanescit in ore,
Ne dicam vt potus clausa cibiq; via est.
Causa mali lateat satis est non posse mederi.
Me miserum, quantum decidit ore nefas!
Garrula quid nostro socias Elegia dolori,
Pectora non ficta nos gemitura fide?
Quid fera, Pirithoi Theseo iuuat edere luctus?
Eurialo Nisi quid fera fata refers?
Pellite corde metus non sic grauis ira Deorum
Opprimit, vt medica sim spoliatus ope.
Aßidet, & placido Pingonius alleuat ore,
Quaq; potest miserum sublevat arte malũ.
Alter se socium mihi Lana Ginodius infert:
Nec patitur vacuum muneris ire diem.

Nec frustrà, tumidas sensim subsidere fauces,
Et voci aspicias ferre ciboq; viam.
Quid tamē hæc prosunt animū malè cōficit angor
Quoque magis cedit hinc dolor, inde venit.
Huic primū parti (sed me malus abstulit error)
Debueram medicas applicuisse manus.
Sed cum fata meis semper contraria votis
Obstarint. pulsa iam moriamur ope.
Iam moriemur habes, tota quod mente requiris,
Quisquis es in cœlo carminis hostis, habes.
Nescio quod nostram numen præcidere vitam
Cogitat iratum nam patet esse Deum.
Siuè meos inuisa odit Rhamnusia fastus.
Seu Venus, Anna tibi dicta secūda gemit.
Seu Fortuna meis offenditur atra querelis
Inq; Hypemethæum iurat iniqua scelus.
Iuret in omne nefas, terra opprimat, æquora terræ
Subscribant, æther hoc petat igne caput.
Aequius ista feram dum nè, mea vita, reflectas
Quos oculos oculi deperiêre mei.
Tuq;, ô Cypri faue nec enim te mollior vlla
Diua mare, aut terras, aut supera alta tenet.
Si quid fortè loquax amentia criminis hausit,
Non mea, sed regni culpa ferenda tui est.

Aspice, vulgari non intentamur amore,
Crudeles plagas aspice, mitis eris.
Nec latus aspersæ læserunt felle sagittæ,
Spicula mortiferæ sed face corda premunt.
Occupat inde tumor gemitu laßata frequenti
Guttura, nec priscum vox sua nouit iter.
Indé subit pallor, speciesq; simillima morti,
Hinc trepida insolito turbine vena micat.
Nec tamen indignor crudelia damna subire,
Dum melior thędas emoderetur Amor.
Quid moror? externas furor incitat ire per oras
Iam pridē, et mortem per maris alta sequi.
Et faciam, nisi vos solito solatia more
Additis Aegæa pectora iuncta fide.
Nec date Pæonias membris languentibus herbas,
Auxilium auxilium mēs malé sana petit.
Quid Beltrane furis? non artē hæc vulnera poscūt.
Auxilium, quæ te perculit vna ferat.

In Venerem & Cupidinem.

QVid vanas Erycina moues sub pectore fram *(des?*
Nō habet ī nobis flāma pudēda locū
Bellacie stolidis, animi tuus arcus egenos

Vul-

Vulneret. hîc vires, hîc tua tela proba.
Saeue quid insultas frustrà puer? arma reconde,
Ne quicquam duras ingeris ore minas.
Tempus erat, cum te pectus, matremq; tremebat;
Sub pede nunc mater. sub pede, saeue, iaces.
Non tua, sed Phœbi veneramur sceptra poetae,
Cur aliena audes regna subire Venus?
An quod te mediis horret Neptunus in undis?
Quod pater, & patrui tertia regna, tumes?
Imperium latus omne tuum telluris adoret,
Horreat & fasces aethra, fretumq; tuos.
Te tamen Aonides spernunt impunè, colitq;
Virginitas Clariū (rumpere,) sancta iugū.
Quis tali timeat sub tegmine futile telum?
Desine nec vano, si pudet, igne pete.
Ergò puer nostros piget, & pudet edere, sensus
Expulerat vano vanior ipse Noto?
Ille ego qui toties iratus amantibus olim
Ausus erā in magnos fundere probra Deos?
Ille ego qui vacuo virtutum pectore, dixi,
Regnat amor. subitó versus amore fui?
Sic qui Tyndaridem cantu laniarat acerbo,
Edoctus sapiit cladibus ipse suis.
Et meliore lyrā, merita praeconia laudis

Vulga-

Vulgauit fastum nam premit ira Deûm.
Quæ fastum premit ira Deûm? & demētia nōdū
Cessit? & infelix arma retentat Amor?
Arma retētet Amor. nō me tamē opprimet armis.
Altera iam flamma fax potiore rapit.
Scilicet ostendit verum Pingonia lumen
Musa, nec infando passa sub igne mori.
Illa oculis tenebras cæcis exclusit inertes,
Me miserum quantis sors agitabat aquis!

Ad Annibalem Magnocaballum.

QVicumque ferro traxit ab horrido
Euasianis nomina montibus,
Ferri gerebat in profano
Magnocaballe, animo rigorem
Aurum decebat culmen amabile,
Aurum decebat numen amabile,
Gentisq; mores & vetusti
Aurea tot monumenta secli.
Quanta renidet Guatia gloria!
Quanta renidet Magnocaballia!
Quam Roma Bruti, quam Metelli
Audeat huic similare laudi?

Dignanda

Dignanda thuris nubibus oppida,
Fœcunda tanti luminis. aspice
Vt lenis Ilithya fulget
Purpureum bis Ianthis astrum.
Non inuidendo nomine liberet
Hæc vna montes? aspice Scotiam,
Examen æqualis stateræ
Vt teneat moueatq; iustum.
Agnelli vt vrnam dextera sustinet
Parem, ut Curulis dißimulem decus,
Vt Vulpiæ gentis Mathæum
Lumen, & æthereos honores.
Phœbi refulgens copia Guatio
Aßurgit; asper rusticus exulat,
Cultusq; ciuiles ubique
In nitidum reuocantur aurum,
Et prisca fulget lux duce Guatio
Bellana nobis Delius artium
Inuentor alter; nec Canina
Pieridum decus abnegandum.
Accedis altis gloria menibus
Cum fratre iuris non malè callido
Cui nec Melampus conferendus,
Nec Clarii soboles tyranni.

Non

Non tu Dianæ vocibus, vnius,
Deuictus oræ reddere luminis
Direpta Thesidæ nefandis
Membra rotis. gemit, usq; frendens,
Gemetq; Pluton imminui tribus
Orci rapacis iura sororibus,
Et iura manes, iura pestes,
Iura Stygis suæ perdit vnda.
Nec te Cyclopum, tela Typhoëa,
Lædent labores. scilicet arduus
Cæli, soliq; rector ægro
Te columen dedit vnicum orbi.
Secunda tollit te quoq; laurea:
Et iure Phœbus iura Heliconia
Concedit, & palmas Idume
Obtulit, & geminam coronam.
Quam fortis ergó Scotia sustinet,
Agnellus ornat, Guatius eleuat,
Quam Vulpius clarat, superbit
Lumine quæ vario Caninæ.
Bellana tollit noster, & Annibal,
Alterq; splendor Magnocaballius,
Aurum decebat, non metalli
Terrifici ferus horror. armat

Ferrum

Ferrum Gradiui pectora Thracium,
Sic fracta nullis cladibus arrogat
Gens iure ferrum, nec decebat
Mollities validum decorem.
Ergò Sabæis nubibus oppida
Fæcunda comple luminis, aspice
Vt lenis Ilithya fulget,
Purpureum bis Ianthis astrum.

Ad Aluarum Gomezium.

H*Espere claude polum, quid gaudia nostra moraris?*
Aluaron astra ferēt, Hespere claude polū
Clausit ouans cælum præbentq; micantia lumen
Sidera, clara subit Cynthia fratris onus.
Nunquā spōte magis cōcesßit ab æthere Phœbus,
Seq; repentino passus ab axe rapi est,
Scilicet ut vati promißa gaudia noctis
Dederet, à rapido se tulit axe rapi.
Despice nunc sacros, temeraria turba poetas,
Quos mare quos tellus, quos supera alta fouēt.
Nox solito citius, uiden, vt complectitur orbem,
Adsit ut optatis non lacbrimanda meis?

Ecce

Ecce ingens tenues intrat conuiua penates
Aluarus, atq; hilarat frontis honore domũ.
Non auro, strato non discumbemus in ostro,
Non feret insignes gemma superba dapes.
Sub lare te munda non lauta paupere cœna,
Et locus à nulla fulgidus arte manet.
Tu tamen, ô pietas, animum non spernis amicũ;
Et post Regis opes, vimq; potentis habes.
Nec Siculæ malis luxus, & fercula mensæ,
Quam cum Beltrano discubuisse tuo.
Clara Molorchæi sileat iam fama mapalis,
Hospite nec tumeant tecta minora deo.
Quis neget immensi rectorem marmoris Hyrei
Cum Ioue fumosa discubuiße casa?
Cum tenues ineas, Gomezi candide, mensas
Nec pigeat vili secubuisse toro.
Scilicet hic candor magno insitus hæret Olympo.
Hæc pietas sanctos monstrat vbiq; Deos.
Qui magnas mirantur opes, regumq; paratus,
Luxuriansq; auro, Chrisolytisq; merum.
Fercula Sidoniæ celebrent regalia mensæ,
Strataq; purpureis conspicienda thoris.
Non ego diuitias, non auri miror aceruos,
Non ego miror opes, Crasse superbe, tuas.

Me

Me tantū vna tuæ pietas mouet, Aluare, mentis
Corda Mycœnæa me mihi iuncta fide;
Quisquis adest, alacris celebret solennia noctis
Gaudia, nec votis abneget ora meis.
Quisquis adest, plaudat, mensaq; accūbat honestæ,
Nec pudor annoso sit caluiße mero.
Dißipat afflicto mordaces pectore curas
Euius e veteri cæcuba prome cado.
Græcorum iusta discumbere lege iubemur:
Hinc, furiosa times Maßica siquis, abi.
Immemorem cupit ebrietas admittere amicum.
Siue tument animi seu mouet ora furor.
Sparge puer flores, epulis nec lilia desint,
Nec viuax apium, nec noua serta rosæ.
Cui Venus arbitrium potandi, & Gratia donet?
Saniùs haud hodiè Thiade baccher ego.
Non est accepto turpe insanire sodale.
Dardana cur buxus? cur leue ceßat ebur?
Audiat insanum strepitum, vraturq; nefandus
Liuor. adest paßis aurea Laura comis.
Dianæ par Laura virum cupit, Aluare, crine
Te flauum spißo, Luciferoq; parem.
Me rapit æternus Violantis pulchrior astris,
Hæc mihi cura recès, hæc mihi sūmus amor.

In

In Io: Francisci Apostoli calumniatores.

DVm scelerũ maculis infectũ obtẽdere vulgus
Vela suo cupit alta furori,
Ambiguo incertæ fingit mortalia sortis
Arbitrio ferri, atque referri.
Vindicis ergo Dei posita formidine fraudum
Tot varias exquirere formas,
Anfractusq; viæ toties intrare dolosæ,
Sensuro pede retia mortis,
Audet, & obscæno vitiorum ingurgitat alueo
Deuota atro pectora letho.
In proprios monstro Venus inconcessa reuolui
Oedipoden malè compulit ortus.
Quid? quem dira fames auri natale coegit
Aere solum venumdare paruo?
Et dominum patriis inducere sedibus? illum
Impatiens agit ambitus æqui,
Hei misero, iusti fines transire pudoris.
Erubuit mortalibus Elis
Diuinos aris imponere tristis honores.
At, quamuis lento agmine, tandem
Adue-

Adueniunt pœnæ. cæli quam ferre sub axe
Pauperiem, durosq́; labores
Vellet egens, ignotus, at imo in carceris antro
Tartarei premit area compes,
Et Stygiæ leges, & flammiger implicat amnis,
Argolicæ moderator habenæ
Apposuit patriis natos fera fercula mensis.
Immanes pater igneus ausus
Palluit, atque astris inimicum impegit Auernũ.
Obduxit caligine vultus
Cynthia, nè Myrrhæ furiales cerneret actus.
Aeolii quis nescit ephœbi
Furta? domusq́; nefas Dictææ, aut Byblida? Tere?
Legitimi nisi fœdera lecti
Incestet, bustum non sit miserabile nati;
Non uidua gemat orbus in aula
Pandion sobolem efferri super aëra: haberet
Mater Itin, Philomella sororem.
Cur Niobe humana posita stet imagine cautes?
Quære oculi nocuisse superbos
Elati inuenies fastus; quem facta Typhœi
Prætereant Acheroia? nullum
Monstra, feri Terræ fugiunt horrentia partus
Enceladi: Cœiq́; furores:

Antè vel Enceladum, Caumq; atrocior, orbis
Pernicies, crimenq; Deorum,
Excidium patriæ, miseranda infamia Romæ,
Tenareis noua pestis ab oris,
Ah nimium pestis telluri nota, ferisq;
Nunc Stygiis data pabula Cæsar?
Num Phalarim, dirasq; canam Busiridis aras?
An Pelopis genus omne retexam?
Sed neq; quot siluas sub iniquo sidere nudant
Prima autumni frigora, pisces
Aequor alit, flammas rotat igneus axis, arenas
Littorei mouet impetus æstus,
Enumeres: scelerũ nec monstra infanda, nocentũ
Nec capitum tot millia dicas.
Fraudis eò ventum est, ea trux inuenta libido
Peccandi reserauit vbiq;,
Ditis vt erubeant vinci, inuideantq; caterua.
Non Erebi fœcunda malorum
Pectora, pœnarum facies, aut nomina Pestes
Flagitiis immanibus æquent.
Ecce dolis cumulare dolos, furiisq; furores,
Et sceleri scelus addere (terrent
Quid te prisca?) recens ætas audacior, alto
Bella mouet, bella horrida cælo:

Infe-

Infestoq; , nefas te quærit, Apostole, ferre
Non impunè absumere . fundit
Iurgia , nec stolidæ retinet mendacia linguæ:
Nosq; tui canit esse laboris
Authores , fidi quod nomine iudicis ornes.
Quodq; animi decus addidit alti
Proxima cœlestum grato indulgentia amori,
Hoc vitio dat liuor inani
Scilicet ipse operis cum rari conditor essem,
Ingenii mihi demere fructus,
Et meritis cuperem ingentes fraudare labores;
Vt Parnaßide splendida lauro
Tempora inumbrarem virgulti fronde minoris.
Nempè soror det lumina Phœbo.
Vixq; nitens sidus Lunares augeat ignes,
Carmen ego tibi Apostole , donem ,
Quod Tagus amne vehit, qđ voluit fluctib' aurũ
Conspicuis Pactolus , & Indus ,
Fundã vltrò,et lectas Erythræo in littore cõchas.
Nec gazæ Gangetidis expers,
Diuite me (liuor procul absit) Apostolus extet;
Et meritò , nisi mentis iniqua
Ingratæ crimen maculet (quod inhorreo) labe.
Officiis me talibus ille

Obstrinxit, tali primus certauit amore

Officiis tamen omnibus auctus;

Cessurus meritis, nunquam cessurus amori,

Vile furens decus impetus optet,

Hoc malè concedam, nec turpe videbitur, vnum.

Finge autem nil cordis inesse.

Si placet humanos etiam mihi demere sensus,

Pirithoo sua præmia Theseus

Auferat? aut meritos iuuenis Phocæus honores

Caro suffuretur Orestis?

Appellem Piladen? appellem Thesea? quid ni?

Obscuro qui me inuidet Orco:

Qui toties vitæ, toties succurrit honori;

Laurigero si fortior astro

Incubuit, residesq; animos, & pectora mouis

Castalii vis ignea regis.

Muneris eius erit qui nos reuocauit ab armis.

Ergò fides mihi vera decorem

Quem dedit arripiat? gelidi prius humida Nerei

Regna colet quæ turba volatu

Pennarum celeri magnum secat aëra, quæq;

Pinnarum spatiosa natatu

Stagna sali tranant, bifidas per inania caudas

Naturæ verso ordine tollent.

Astra feret tellus, siluas geret arduus æther:
Ingenuæ quam mentis honores
Oblitus decori aspires vel Apostole, vano,
Vel fidei sua præmia nota
Inuidus eripias laudem, si carmina lima
Tam multa cruciata subire
Iudicium fidi, quamquam rude, iuuit amici,
Conticeant præconia famæ?
Num Latiũ qui pulsat ebur, quiq; intulit aruis
Dardanium Laurentibus agmen,
Quique feras docet arte capi, qui prælia cantu
Ausonio Thebana sacrauit,
Quemq; super doctos facundi flumina tollunt
Ingenii exundantia vates:
Quiq; aui mordent scelerati crimina, quæque
Turba canit genialis amores:
Excultos aliis alii cœlare solebant,
Aut lima subducere versus?
Quis nisi mentis inops tantorum exempla virorũ
Ergò ausit damnare secutos?
Ipse ego, nec pudeat, si fas ignobile tantis
Nominibus tamen addere nomen,
Non semel arbitrio docti mea scripta sodalis
Supposui, nec rarius illa

Mutare, hac longa didici delere litura.
Sed quid adhuc & viribus aucta,
Et numero innocuum vocat ad prætoria carmen,
Barbarico, subsellia, more,
Factio? dementes quibus hic calor incidit, olim
Cœpti conscia corda pigebit.
Verretq; humiles nequicquã in puluere crines,
Blandis assentantia linguis
Verba fluent: nostri stabilẽ nec verba mouebũt
Vlla animum, sint mollia, vatis.
Donec sinceri candorem pectoris edat
Consilii sententia magni,
Aemula responsis magni sententia Phœbi.
O felix ter, & amplius, ora,
Talia cui rerum moderamina contulit æther.
Non hoc æra potentia menteis
Vertere corrumpant, Orientis dona, tribunal.
Sidereis nihil inuida flammis
Lumina gemmarum, capiant licet omnia, iusta
Haud moueant examina lancis.

In Picentinam.

E*SSE odio nulli vis, Picentina, procaci*
Lingua tam meritos iniice sæpe lupos.

Mordet

Mordet equus duros linguæ sinè crimine frænos,
Et iuga bos placidum fert onerosa pecus.
Tu nec sæua iugo das colla, nec ora lupatis,
Cum bona iudicio sint vitiosa tuo?
Vir sacer ægrotam studia ad diuina puellam
Inuitat, Venerem conciliare putas.
Atq; vtinam Venerem vel conciliare putares,
In diros, clamas, iam coiêre thoros.
Et populum amisit natorum infausta suorum
Tantalis: inuenit vir sibi fata manu.
Illa etiam traxit lapidis mutata rigorem:
Causa fuit tanti lingua proterua mali.
Hæc facit vt vanas intexat aranea telas:
Hæc facit vt Pěteus matris ab ense cadat.
Vndè lacus habitent informes corpore ranæ,
Aspice, vel me res ipsa silente patet.
Pierides stolidi quondàm certamine cantus
Aonias ausæ sollicitare Deas.
Nunc simili geminăt conuitia murmure Picæ,
Nec vertit mores versa figura truces.
Et Larium matri linguæ nè perderet vsum,
Profuit à falsis abstinuiße nihil.
At natæ quæ lingua sinus permingere patrem;
Byblidas, Aeolidas quæ tot in vrbe facit.

Flectit adhuc Stygiam scelerata in iurgia voce,
Hæret & in proprio fixa, tenaxq; loco?
Ascalaphus quamquã nimiùm vera edidit, ægri
Non minus est luctus nuncia, sorsq; mali.
Quid vulgare paras Aglauri crimina cornix?
Indicium infelix quid tibi stabit auis?
Tu quoque, Corue, tene nociturã garrule linguã,
Quid minus est linguã quã tenuisse graue?
Heu citò nunc albas doleas nigrescere pennas,
Vera refers, sunt & vera tacenda tamen.
Cur refugos fructus captat, cum Tantalus vndã?
Præmia nempè suæ garrulitatis habet.
Picentina Deos audet mordere supremos,
Picentina fero rodere dente viros.
Facta, infecta canens impunè effundit in ora,
Et quo fœda magis, hoc magis illa tonat.
Irritata Deûm Famam terra edidit ira
Cæo, monstrum ingens, Enceladoq; parem.
Quæ licet extremò surrexerit edita partu,
Ora licet centum sint, totidemq; soni.
Non tamen innumeras uitiis sic arrigit aures,
Non sic incestat fasq; piumq; tamen.
Si ficti, prauiq; tenax, non immemor æqui
Ore bonum tollit, quo premit illa nefas.

Tu vitio bona vertis ouans, semperq; pudendo
Obscœnum versas ore animoq; scelus.
Fallor? an Inferni Nox impia Ditis in aula
Edidit hanc partu deteriore luem?
An scelerum mater, scelerũ dedit esse magistrã
Vinceret vt triplices impietate Deas?
Vita facta docent hoc Tisiphonaa nefandæ,
Hoc nunquam verbis lingua soluta piis
Personet ore furẽs Phlegenthontia regna trifaucẽ
Cerberus, & iactet noctis in orbe minas.
Hidra feros centum soluat crudelis hiatus,
Et tremat horribiles Tartarus ipse sonos:
Picentina acuat sceleratam in iurgia linguam,
Horreat hidra, nocẽs Cerberus ora premat.
Hoc scelerum inseruit capiti Natura nefando
Vt Stygiæ fugiant, inuideantq; Deæ.

In Eandem.

QVo sumus Infernos, quo cæli crimine diuos
Lædere? quos ausi conscelerare focos?
Vt patria insultet Stygiis noua pestis ab antris,
Cerbereoq; pium polluat ore solum?

Non iter ad diras hac est Cocytia, Thebas,
Cōprime iam gressus Dira, pedemq; refer.
Te seu Tenariæ, Ditis spiracula, fauces,
Expectant, seu qui sternit Auernus aues.
Desere iam mitem (potes hoc) iam desere terrā,
Non est Auerios moribus apta tuis.
Non parit hic nato diros Iocasta nepotes,
Incestat patrios Myrrha nec vlla thoros.
Quid nisi Tyndaridas priuos habitare penates,
Mœnia tot Nisos, Eurialosq; doles?
Sic fratres ardent, Phœbum vt soror alma, sorores
Virgo patrem, vt patrem filia debet, amat.
Scilicet hic floret, Phlegetontia carpere, virtus,
Et pietas Petri regnat in vrbe sui.
Mille tibi fraudes sint, artes mille nocendi,
Et totum moueas in tua vota chaos:
Viua licet noctis volites impunè per vmbras,
Et strigis ala feræ corpus anile tegat:
Et nunquam humano venias ieiuna cruore,
Corpora viua die, nocte sepulchra mouens.
At non Petrigenas armes in prælia cœtus,
Fœdera, quam reris, fortiùs addit Amor.
Nulla Cupidineas horrescunt pectora flammas.
Auri nulla premit pectora sacra fames.

Da

Da mihi Thebanos pradã, Phlegethõtida, fratres,
Deponent Stygias ille, vel ille minas.
Lysiacis animam Pelopëius hauserit astris.
Cynthius auersos non agitarit equos.
Scilicet est aliquid puram ex puro athere vitam
Ducere, & auräi simplicis igne frui.

Ad Beroldum Pingonium.

CVR nequeã Berolde, meis cõponere curas
Auspiciis, duro victus amore, rogas?
Visq; salutifero ingentem medicare dolorem
Consilio, medicas, heu, remoueto manus.
Non bene mater adhuc sobolis viuente fauilla,
Ante rogos audit læsa medentis opem.
Orbatos citius poteris mulcere leones,
Armeniæ citius concidet ira feræ.
Luctus adde truces, lamentaq; tristia, sunt hæc
Auxilia immenso, nec malè grata, malo.
Dum furor in cursu est, currenti obstare furori
Ne propera: occides, quem periisse gemes.
Sæpè reluctantes contrà sua fræna iugales
Vidimus insanis ocyus ire Notis.

Vidimus

Vidimus & laxas ubi colla comantia habenas
Senserunt, celerem continuisse fugam.
Obiice quid tentas fluuiaios inhibere ruentes?
Libera lenè fluet lympha, retenta fremet.
Ignis ad extrema laquearia voluitur ædis,
Perq; trabes altas tectaq; summa furit.
Desine nec frustrà graßanti obsistere pergas,
Subsidet, rapta non nisi flamma, domo.
Intempesta canis, solatia uulnus acerbant,
Subleuet hanc animā qui premit, vnus Amor,
Scilicet vt quondam miserando Pelias hosti
Auxilium quate perculit hasta feret.
Dißimili sed læsa patent præcordia plaga,
Nec Venus iniectas ventilat aqua faces.
Me ferit aurata flammatum cuspide telum,
Plūbea sed dominā (pro dolor!) arma premūt.
Quos Dea crudelis, gemitus mortalibus infers?
Vulnera nostra iuuant, uulnere cæde pari.
Non ego plebeios indignor turgidus ortus,
Cera per innumeros quid iuuat acta patres?
Non doleo quod sit fusco suffusa colore,
Num species oculis gratior ulla meis?
Nec primum fusci, me gratia perdidit oris.
Sordeat: exemplis causa quoi ista cadet?

Castora

Castora Leucippis rapuit, Cephëia Perseum,
Nec micuit niueis illa, vel illa genis.
Nec candoris habet generosa Lucretia laudem,
Nec diras auido quæ bibit ore faces.
Adde quod hæc nũquã forma est contraria recto,
Signaq; non dubii semper amoris habet.
Illa sui cineres interrita coniugis hausit,
Marmore nec manes passa iacere pios.
Hæc comes occiso fertur venisse marito
Noluit, & venia fulminis ipsa frui.
Vt Pagasea imis Phılaccida vallibus vmbram
Nupta maritali pro nece læta rapit,
Funera sic Tyrii comitatur Elysa Sichæi,
Lumine sic cassum Laodomia uirum.
Denique siqua pii siqua est studiosa pudoris,
Huic niger (vt dignũ credere) sanguis erit.
Igneus ille color nempè est, est ignea virtus
Igne perennat amor, si caret igne, perit.
Qui sibi delegit niueæ connubia frontis,
Intulit infausto crimen onusq; thoro.
Tindaris elusit thalamos, eluserat antè
Lada, nec in falso texit olore nefas.
Argolici subitos videas si vatis hiatus,
Hæc quoque fœmineus crimina candor hẽt.

Torpet

Torpet enim virtus vbi frigus praualet, indè
In vitium praeceps candida turba ruit.
Non moueor, quod agros cẽtum nõ uertit aratris,
Non moueor, nulla quod iuga tondet oue.
Quis nisi mentis inops fuluum sibi deligat aurũ,
Contemnatq; animi deficientis opem?
Quid si mille boues variis mihi montibus errent?
Si grauis aggestas arca recondat opes?
Nec mihi iucundum est Tyrio discũbere ĩ ostro,
Diuitias aliò sors uaga, flecte tuas.
Sordent strata dolent, animus si deficit, artus,
Nec placet auro ardẽs, Chrisolytisq; merũ.
Ipse vel in nuda laetus tellure recumbam,
Dum comes in nudo sis, mea vita, solo
Ambrosia, nulla arte dapes, mihi fercula tecum,
Tecum nectar erit simplicis humor aquae.
Tu dolor, & luctus causa es tu sola voluptas,
Lenis ades viuam, torua tuere cadam.
Sola ferunt animo lumen spirabile, sola
Haec quo me perdant, lumina fulmẽ habẽt,
Et miramur adhùc iuuenem per saxa per altos
Arcadium montes ferre, referre plagas?
Nos humiles (diui nociturum auertite factum)
Tendimus ad nodos, colla manusq; tuos.

Diua

Diua iube, nec enim pudor est parere iubenti,
Nititur exemplis haud mea causa malis.
Cura fuit Clario Nimphe Peneïa regi,
Nec puduit pauidã per iuga summa sequi.
Hei mihi sic nostras sic despicis Anna querelas
Dii, precor, ô nè sis tu mihi Laurus, agant.
Cornua cur patitur? cur pastas ruminat herbas
Iuppiter? an nè audis? seuus inurit Amor.
Quid mirum si Liber amãs latet abditus uua?
Aurea si summo labitur unda polo?
Quos non sustinuit semen mortale labores?
Quo non & terras uulnere fixit Amor?
Hunc maris aspicias fluctus tranare tumentes,
Lassaq; turgenti credere membra salo,
Non ut Erythræis niteat domus aurea gazis,
Sed Dominæ vt iussis pareat ille suæ.
Sæuitiam ille dolens, regnumq; immane puellæ
Scrutatur sæua pectoris ima manu
Vndè gerat tinctos, si quæris, sanguine fructus
Lactea nunc Morus, crimen amoris id est;
Aspice magna Iouis soboles, decus addita cœlo,
Læuia terribili pollice pensa trahit;
Quid tibi cum Tyrio domitor telluris amictu?
Vestis ad Herculeos non facit ista thoros.

Quid


Quid frustrà magno non apta monilia collo
Inseris, & clauam fœmina mollis habet?
Dic, ubi, qui fudit volucres Stymphalidas, arcus?
Te Dis, te Ditis lurida monstra tremunt?
Hidra renascenti cui non suffecit hiatu,
Quem Nemee strato clara leone sonat,
Non ignota cano, patitur fera regna puella
Pallidus, i, nunc, & vince quod ille tremit.

Explicit liber quartus.

MICHAELIS GASPARIS BELTRANI LVSITANI

SILVARVM LIB. V.

De Vincentio Laureo. Cardinale, &c.



Am diu longo satiata lusu.
Arduos aude superare Clio
Nubiũ tractus, Immerisq; magni in-
Sistere Atlantis.
Cruribus pullus teneris in aruo
Nuper incertos glomerabat orbes:
Poscere Elaa modo victor audet
Pramia palma.
Lusit in paruos lepores. ferasq;
Dum Leo vires recipit minores
Nunc at armenti premit ille fortes
Robora tauros,

Vnguibus flammas referens trisulcas
Transit ingentem Iouis ales æthram,
Armiger diuûm meritus vocari.
Videris artus
Nuper infirmos & adhûc leuari
Nescios auras metuente penna,
Donec a lusu tenero supremos
Ausit honores.
Et mihi cœlum penetrare fas est,
Non bibo sacras nouus hospes vndas.
Nec mea albescunt radiata primis
Tempora vittis.
Delius nostris facilem rogatis
Applicat mentem, soror omnis antri
Pandit arcanum penetrale, pandit
Orgia Nisæ.
Nomen è tanto numero, vel acri
Tibiæ, vel da citharæ canendum
Bella seu cantu Latio sacrare
Horrida Martis,
Seu calor mores iubet inuidere
Aureos Orco sceleriuè manis
Impio irasci: sitis hoc leuetur
Omnis in amne.

Laureus sacros redimitus aurea
Infula crines, graue purpurati
Ordinis pondus mouet, ille nobis
Carmen honorq́; est.
Spumeus tetro Phlegethon veneno
Vsque ab Arctois maculauit oris
Galliam, tabo maculauit altas
Cerberus Alpes.
Spumeus tetro Phlegethon veneno
Frigidas latè maculauit Arctos.
Impio feruens Tanaim Lutherus
Polluit ore.
Ocyùs terras fugiente penna
Deserunt diras bona. Stant vbique
Impia, Noctis soboles, hianti
Ore sorores.
Roma Regali vigilare Monti
Imperat primum, duce quà piorum
Errat orbatus chorus, & propinquas
Horret echidnas
Monstra vicina procul ille pestis
Turbat impellens, vitiisq́; ab ima
Erutis fibra, docet inquietos
Fallere morsus.

Veritas, Rectum, Pietas, Fidesq́;
Quæq́; mortales radiare sensus
Sueta virtutum redit, innouatur
Moribus aurum.
Indè Mæotin reuocare rursus
Legis ad ritus superæ iubetur.
Latus in durum Borean, trucesq́;
Tendit in Arctos
Non viæ terrent animum labores
Aspera, non tot grauidum sagittis
Agmen; & soles patitur feraq́;
Frigora brumæ.
Sedibus tandem datus expetitis
Vulgat à magni serie Tridenti
Quicquid æterni referente fluxit
Numinis aura.
Penè Mæotis glacialis agmen
Iura suscepit, reuocatur vltro
Verba miratus grauia, & decoram
Sarmatæ mentem.
Sed quid insanis Erato? labores
Ausis Herois celebrare plectro.
Quos nec amplecti liceat verendi
Mole cothurni?

Ad Elisabetham sororem.

SI cupis infausti casus cognoscere fratris,
Pectoris angores Elisabetha cupis.
Qualia succiso iacuêre papauera collo:
Vt iacet hesternæ flosq́;, decusq́; rosæ:
Non homo, sed species hominis, sed inutile signũ,
Iam satis ad Stygias dignus adire domos.
Non aliter (si fas componere grandia paruis:)
Vanescis miris Amphiarâe modis.
Felix, qui subitas abiit dilapsus in vmbras,
Non illum ærumnæ, nõ mala vexat humus
Nec mihi dilectam morienti apprendere mortẽ.
Inq́; vmbras vmbram iam cecidisse licet.
Ossea forma thorũ premimus, misera auris acuto
Murmure, ut in templis æra repulsa, sonat.
Guttura crudelis dolor occupat, occupat ardor
Ora, nec illa merum, nec leuat vnda siti.
Si quas Ister aquas, quas Nilus gurgite uoluit.
Quosq́; vehit fluctus Mõda, Tagusq́;, bibã.
Non tamen infelix abeat sitis, ignea non sic
Saxa rotat Phlegeton, Dis violente, tuus,
Flammarũ quos Aetna globos, præcordia voluũt
Torrida: vis urit frigoris atra cutem.

Non ita collecti flagrant in nubibus ignes,
Aërias circum cum stetit algor aquas.
Ardet hepar, ventriq; adimit fera flãma calorẽ.
Vertice lapsa inflat pectoris ima lues.
Quid subitos laterum referam, genuũq; dolores?
Figit atrox ægros ictus, vt hasta pedes.
Non reperit solitum vesica obstructa leuamen,
In latebras renum talis inundat aqua.
Nam neque uitalem obturat caro tubere fontem
Obiice nec diro calculus ater obest.
Membra nec in molli datur, heu versare cubili,
Nec caput, aut ægras posse mouere manus.
Denique tot cruciãt mala, tot cruciantq; dolores,
Corpora surgenti quot Noto arena mouet.
Ecce Machaonius titulo re funus, & angor
Carnifices adhibet nocte, dieq; manus.
Cumq; tot incumbant, quot cœlo sidera pestes,
Febrim vnã Stygiis pellere tentat aquis.
Vtq; repugnanti fastidia marcida contrà
Nil profecturus sumitur ore liquor:
Frigore laxa graui, quicquid demisimus, aluus
Respuit, utq; luem Pæonis horret opem.
Non potum, non ferre cibum non possumus herbæ
Pocula. da nectar, nectaris haustus obest.

Nec fomenta malis adhibet Phœbëius ales
Verba audita potens edere, mente carens.
Ecce venit qua lustret anus morbumq; nefandũ,
Nescio qua tentat pellere uocis ope.
Et nollem magicas, si sint, adhiberier artes,
Signa negant vires addere, uerba dolor.
In mediis si quam ausa malis mens fingere vocẽ,
In gemitum soluit turbidus ora dolor.
Quin adeò tremula fundentẽ hæc carmina linguã
Bis decimo surgens iam uidet Eos equo.
Nec possem, sed me pietas leuat aurea, uosq;
Antè oculos offert nocte dieq; meos.
Adde quod à cunctis iaceo desertus amicis,
Nec quò iam vertam lumina fessa, liquet.
Hinc uideo immunes opis ædes, indè recursant
Funerei famuli funereæq; faces.
Et nisi Lysiadûm lumen Gomezius adsit,
Iam non sit claros cernere solis equos.
Quod vos, quod mater misero præstare valeret;
Præstitit, et præstat nuc quoq; clara domus.
Sæpè mouent matri longi fastidia morbi,
Et sua progenies nausea sæpè patri est:
Morosi nec sunt illi fastidia morbi,
Me capit, est illi nausea nulla mei.

Si quod ab Eois gens Lusitana triumphis
Misit opum, quod opũ gẽmifer Indus alit;
Quas Erythraea vadis euoluunt aequora gemmas,
Quod Ganges aurum diuite voluit aqua.
Quod Tagus, et Pactolus hẽt: quod deniq; vbiq;
Magnũ, pulchrũ ingẽs nascitur, omne darẽ.
Non minimã tamen officii partem omnibus unã
Assequar officiis: hac fouet ille manu.
Quod superest, tanto in luctu solare parentem,
Quoque soles sortem robore vince trucem.
Nec pigeat reditus matri promittere inanes.
Nec pigeat coram laeta sorore loqui.
Non datur exiguo victoria clara labori,
Vince animis sexum, consilioq; tuum.
Omnibus auxiliis misero succurre dolori,
Falle pio, fas est, teq; tuosq; dolo.
Quis Deus aegrã animã, quis nexos alligat artus?
Mors mihi votũ unũ est, soluito, munus erit.
Nil opus est uotis, quid votis sidera lassas?
Fallor? an impediunt me tua uota soror?
Si tibi nil coelũ negat, ut reor, hoc quoque posce;
(Si stat pro misero fundere fratre preces.
Non indignor adhuc tanto superesse dolori,
Numina dum vultus dent aliquando tuos)

Pri-

Pristina non cupio(nil insuperabile cœlo est)
At natura suas perdidit omnis opes.
Sit releuare animam sublata parte doloris;
Subleuor? an sensus ludit imago meos?
Subleuor, & votis cœli indulgentia nostris
Annuit, & læto gutture cantat auis.
Sed longum iam lassat opus, nec spiritus ori
Sufficit: & pectus deserit aura. vale.

Ad Inesiam sororem.

CVm pia fraternum recreauit, Inesia pectus
Littera: si taceam, non leue crimen erit.
Ergò tua est pietas medio in discrimine vitæ
Ausa vale tremula pingere dulce manu?
Deleuit nec longa sacras absentia flammas?
Nec minuit curas tertia bruma mei?
Nec spes longa obstat, nec mens lassata dolore?
Nempe salus diram reppulit ista malum.
Et mea non simili præcordia mouerit igne
Aurea qui generis vincula nectit, Amor?
Non si stet circum pectus Marpesia cautes,
Si rigeat circum viscera dura silex.

Vret

Vror,& incedit pietas,seu tollit ab undis,
Seu lauat in nostro gurgite Phœbus equos.
Antè oculos mater,charum caput, anté nepotes,
Et gemina erratis,lumina nostra.soror.
Nec nos Aeolii malus occupat ardor ephœbi,
Nec vos infandus Byblidos ignis habet.
Qualiter Antigone in generū pallebat Adrasti,
Qualiter Heliades fratris amore calent.
Non aliter Castor.Pollucem,& Castora Pollux,
Tequoq; sic altus,Cynthia,frater amat.
Iure igitur.soror alma meam,soror alma salutem
Accipe,nec nostram mœsta querare fidem.
Spiritus antè,meos qui nunc regit,effluat, artus.
Terraq; composito clauserit oßa sinu.
Quam tenebrosa tui subeant obliuia mentem,
Meq;,tuiq; dies hauserit vna faces.
Me miserum.quod fraterno scelus excidit ore!
Hæret dilecto Laodomia viro.
Quæq; immaturum subiit pro coniuge lethum,
Mundus in extincto seruat amore nurum.
Non Agamemnonium custos Triuialis Orestē
Deposuit,Lethen potet vterq; licet.
Quid mirum? lateat quamuis caligine pressus
Spiritus hic supera semina mentis habet.

Et

Et ſimul ac tenebris, & carcere liber iniquo
Aura ſe puro ſimplicis igne nouat.
Tunc pietas vultu ſociat veneranda modeſto,
Tunc venit, & recti mutuus hæret amor.
Indè pio Capaneus reſpondet coniugis igni.
Sidonius flammas æquat Eliſa tuas.
Sic ego cæleſtis geminæ pietate ſororis,
Altior Elyſiis inferar vmbra choris.
Nec Iouis inferior (liuor licet audiat) ibo
Numine, laus laudi veſtra futura meæ.
Siuè dies ſpatium mihi finiat vltima uitæ,
Et prior in Stygiã, quod rogo, mittar humũ.
Siquis ad Elyſios nouus incola venerit hortos.
Plurima de vobis ille rogatus erit.
Plura tamen dicet (nec enim mendacia fas eſt
Ad loca plena Deo cedere) vera quidem.
Nec mihi veſtra feret cælari cortice membra.
Inque nouas ſtirpes diriguiſſe pedes.
Nec tenera inſando traiectæ pectora ferro
Fati animæ viles excutietis onus.
Sed pariter luctus, cæliq; immite trahentes
Lumen, erit matrem cura fouere piam.
Lætitiamq; animi vultu ſimulare ſereno,
Sæuiet at preſſus corde dolore dolor.

Purpu-

Purpureo fratrem clamantes Phœbus ab Indo,
Clamantes fratrem cernet ab amne Tagi.
Cura tamen medio in luctu cælare parentem,
Sitq; labor lachrimas occuluisse pias.
Vos decet ingenium tunc sexu fortius; alta
Ipse ministrabit robur ab arce Deus.
Intereà dum fata sinunt meliore potiri
Sorte, nec auersam dat Libitina facem.
Spe reditus nostri certa solabere matrem
Exemplum natæ dulce, decusq; bonæ.

In Augusti, & Antoniæ obitum Epicœdion.

ERigonè surgentis discindere stamina vitæ
Tartareæ potuêre Deæ? nec Delphica quōdā
Carmina, nec magnæ tetigêre oracula Cirrhæ?
Scilicet hoc felix Lunæ, Solisq; meatus,
Astrorumq; uices, & lancis amabilis aurum
Promisêre nefas? quid Phœbe per auia mundi
Ducebas? humili nunquam discedere terra
Quā foret utilius: quid ab æthere sūpsimus? ægros
Angores animi, æternosq; in secula luctus,
Non secus Iapeti soboles temeraria cælum

Lustrauit fuso passurus sanguine pœnas.
Et cursus signare alacres, alacresq; recursus
Ausus ego astrorum? gemitusq; includere velo?
Infandoq; malum properãs tegere improbus ære?
Nunc gemo, nũc demẽs lacerat præcordia luctus,
Et lachrimas sine fine mouet iure angor, & ipso
Carmen in ore natat, mentemq; insania mutat.
Et reprimunt alti luctantia verba dolores.
Haud satis exactum est. quæ rerũ exordia sumã,
Quæ quibus anteferam; nec enim Parnasia Tẽpe
Visere nec Dirces amor est intrare recessus.
Sed Stygios penetrare locos, lachrimasq; fluentes
Cocyti rapere, ore trucemq; lacessere sortem.
Tuq; comes Gulielme veni, & suspiria ab imo
(Abruptis dum uulnus hiat lachrimabile venis,
Et diuisa patent, lethali pectora plaga)
Corde trahe, & mecum tristes edissere cantus.
Non tibi purpureo vectas ex æquore conchas.
Abstulit: inuoluens Gangetide ditia gaza
Rostra fero Fortuna mari: Phariæq; loquaces
Delicias immersit hyems obnubila puppis.
Non armenta feri deuastauêre leones
Fortia Maßili: aut gelida vexata pruina
Culta gemam; rigida non læsas grandine vites.

Nec

Nec te hæc dãna mouẽt; tua te, tua viscera ĩ altos
Vulnere non modico latè diuisa dolores
Impellunt, Augustus obit tua, maxime, proles.
Quid Gulielme stupes? lachrimis da fræna, dolore
Inueniant laxata uiam suspiria voxq;
In miserã erũpat gemitu haud obstante querelã.
E rebus, quas aura mouet uitalis, & artus
Spiritus infirmos agitat leuis, vltima sors est
Nostra, sacraq; animi recidunt in vulnera dotes,
Exuit annosum ceruus cum cornibus æuum.
Ad Solem nouus & posita cum pelle senecta
Arduus exultat coluber: triplicemq; veneno
Armat atrox reduci linguam quid garrule tẽpus
Corue tuum memorare iuuat? tua secula cornix?
Hircanos vrsos, impacatosq; leones
Et rabidas Tygres, & quæ nostra inuida uita
Mõstra sit innumeros animã traducere in annos
Solus homo miseros fortunæ sentiat ictus,
Et mortis tremat vsque manus. sine uestibus ullis
Frigoribus teneros exponit, & ignibus artus
Natura æstiuis, iniustæ more nouercæ.
Principio species ceu vana, & inutile signum,
Corpora nostra iacent communis nescia sensus.
Vagituq; auras, veluti præsaga futuri

Mens

Mens ferit, & gemitu lumen spirabile damnat.
Adde quod, et victus, & quod mētē excolit artis,
Ignores pulso doctore, altrice remota:
Et quæ Cecropius vir quondam plurima flevit.
Intextu pecudes natiuæ uestis inumbrat,
Et cingit Natura feras, has vellere molli
Protegit, hirsutis illas obit aspera setis
Pellis, ut hyberni vim pellere frigoris, hædis
Arcturoq; oriente queant, ne torreat hircus
Aequoris, aut rabies Boreæ penetrabilis urat,
Astrictæq; solo glacies: neu feruidus obstet,
Cum canis æstiui flammis incanduit, aer,
Miscet & Andromedes pater ægro incēdia cælo,
Nec nutricis egent, nec qui doceatq;, uetetq;
Dona salutiferi victus, torpensq; venenum,
Errat in herboso iumentum ignobile campo
Prata metens, carpit variis radicibus herbas
Nutrimenta bono quærens de gramine, pestesq;
Effugit infandas passim & lethale venenum
Inter mille herbas, mille inter gramina nouit.
Mens homini sed sera venit, solertia mentis,
Ingeniiq; nocens sibi uis, industria, nerui,
Quò ruat in peius, quò spes sublapsa feratur
Vana retrò. sequitur dominandi insana libido,

Liuor,

Liuor & insidiæ, pendensq; è pectore matris
Agmen auaritiæ curarum, & uiscera morsu
Nostra petunt diro. genus heu miserabile, sortis
Ludibrium infelix, aut digna insania risu
Democriti sumus, aut sophiæ suspiria Graiæ,
Et luctus ferimur scelerati infamia secli,
Opprobrium terræ. nos depopulatur aquarum
Impetus, ignis aquæ subscribit, pestifer igni
Annus & infecto latè fluit aëre lethum.
Tot variæ irrumpunt mortes, tot funera surgunt;
Corpora quot puluis, stellas cœlum, æquora pisces,
Gestat aues aër. Quid enim de semine nasci
Profuit æthereo? quid cœlum ascendere mente?
Ingeniis æquare DEOS? quid inania Ditis (mors
Audaci penetrare gradu regna? imminet, heu
Hostilisq; in fata dies vocat, ignea virtus
Corruit, & nullo discrimine mergitur alueo
Vmbifero lethes. fortis sis pectore, forte,
Iniiciet mors dira manus in pectus iniquas.
Quid iuuat Alciden rabiem superare Nouercæ?
Si post bis senos stabat grauis hora labores?
Quo Troiæ spes Hector abit? quid profuit olli
Agmina Thessalicis impingere Thessala castris?
Dardanias circum raptauerat Hectora turres,

Corpus

Corpus vt exanimum diro venundaret auro
Impius Aeacides. vbi nunc petis? obruit vnda
Huc quoq; summa dies Stygia. quo Turnus, et in
Tros Anchisiades? hic lætus, tristior ille (gens
Vnum ingreßus iter, victusq;, & victor eâdem
Sede manẽt; Regẽ, & vulgus locus accipit vnus.
Ingenio confide bono: plectroq; superbi
Aeolio: iacet ecce senex hinc Tëius, indè
Pindarus, & lustris absentem quatuor ingens
Mæonides, Ithacis Ithacum regem intulit aruis
Vergilius, Varusq;, & quod clarum edidit ætas
Aurea, mersit aqua sors atra nocentis Auerni.
Splendorem generis iacta. Iouis inclyta Minos
Progenies, fraterq; sinu telluris auara
Conduntur: comes iis pluuio conceptus ab auro.
Sarpendon iacet Iliacis ludibria campis,
Præda canum; iacet & Cycnus, nec profuit illi
Neptunus. ferroq; cutis non peruia. primo
Aeui flore tume. vix preßus ad vbera, vitæ
Limine præripitur, cui dulce Georgius omen,
Et nomen donarat auus. Prô tristia sortis
Ausa! ferumq; nefas, & semper noxia vati
Auguria! eludunt sæuo mortalia risu
Cœlicolæ, ludumq; ferum sors ludere gaudet.

N *Erigit*

Erigit humanos per & astra, & nubila sensus,
Vt grauiorem alta flammarum ex arce ruinam
Mens trahat: & certo succumbant corda dolori.
Quid maiore tamen rumpit præcordia luctu?
Quis nouus incũbit dolor? aut quæ plaga retẽtat?
Quod maius fortuna nefas moliris? ab alto
Fulgura per sudum, & flãmæ cecidêre trisulcæ.
Sistit aquæ cursus. subsidunt culmina. fletu
In media quid manat ebur testudine templi,
Humidus & sancto sudor prorumpitur ære?
Allatrant ferale canes, obscœnaq; vulpes,
Et rabidi per tecta lupi: feralis vbiq;
Ascalaphus gemitu horrificat. quócũq; mouemur
Importunæ adsunt volucres. miserabilis vsque
Luctus, & vsq; pauor, mortesq; antè ora ferũtur,
Telaq; sanguineis stillantia roribus errant.
Sic immaturæ cum fila recidere vitæ
Tergeminæ cuperent tibi iam, Francisce, sorores,
Lysiadûmq; decus (miserandum) abducere nobis,
Pectoraq; æterno Gomozia mergere luctu:
Omnia signa dabant diræ prænuntia cladis.
Terrebant portenta dies, insomnia noctes.
Sic etiam, memini, quid non meminêre feroci
Quos presſit Fortuna manu? tua Apostole, proles,

Clauderet æterno (miserum) cũ lumina somno :
Mœstaq́; iocundo raperetur ab vbere matris,
Aeternus dolor,æternum hæc in pectora vulnus.
Cœlum insultabat flammis,terra impia monstris.
Hic erat,hei misero,nunquam me somnia fallũt;
Magnanimi soboles generosa Leonis in aruis
Qui modò cum teneris vix natus luderet,& iam
Viribus ire supra patres ,semenq́; videres
Aethereũ,toruos Rhamnusia luminis orbes
Vertit in hunc. doluitq́; animos & nescia frãgi
Pectora,nec solum nigra Stygis obruit vnda,
Sed iam exultantem tumida ceruice leænam
Abstulit,& superis inuidit atrociter oris
Scilicet (infandum)celeri tibi filius (ô lux
Inuisa!)abripitur letho:spes tanta nepotum.
Altera spes sobolis, maiorq́; Antonia mortis
Heu sæuam patitur rabiem,satiatq́; furores.
Ne Gulielme stupe; ne durus frena coerce
Luctifico lachrimosa sono. quin aspice quantum
Patrarit Fortuna nefas . cumulata feruntur
Funera funeribus. premitur domus vndiq; luctu
Infelix satiare malis,satiare dolore.
Nec modus in lachrimis tibi sit.de limine vitæ
Pulsus,inane iacet corpus,nihil vtile signum .

Cui modò ſudabant & cœlum, & ſidera laudes.
Inuidêre Dei virtuti, & ſtamina primæ
Fauſta colus rupêre, & ſpes ſurgentis in æuum
Sanguinis omne tui. Gulielme, Georgius atris
Ora notis pallet, palletq; Antonia. ſanguis
Ille, vel illa tuus. merito præcordia tactu (nas.
Mota immane latrãt, lachrimisq; effundis habe-
Heu vbi iucundæ veneranda modeſtia frontis?
Labra verecundis vbi floribus æmula? quique
Intrà oculorum orbes claro ſplendore Smaragdi
Ardebant? vbi quæ circum candore niuali
Mixta inſignibat flagrantes purpura malas?
Intulit, heu, cuncta in cineres grauis hora, dieſq;
Lugubris miſerum omnigeni fraudauit honoris,
Et variæ virtutis humum ſpe. tanta nitebat
Ore parens, tantum patris illi in corde gerebant.
Tantus in anguſto ſplendebat pectore Olympus.
Non ſecus Archemorus, vel formidatus Achiuis
Aſtyanax, paruo verſabant pectore patres:
Hic colubri preſſus cauda imprudentis Auerno
Mittitur. hic turri inſidiis Pellacis Vlyſſei
Deiectus Troiæ ſpem, & matris rupit, & oris
Conceſſit ſuperis proiecto lumine ſed quid
Lætitiæ vox plena noua mihi fertur ad aures?

An

An nè aliquid vati datur hoc in tempore lætum?
Sic erat, insanos misero Gulielme tumultus
Excute corde. polo regnant, par nobile, nati:
Vt Latonigenæ radiantem lampada cœlo
Diffundunt. mortale iacet; superæ ardua mētes
Tecta colunt, patriaq; domus stellata tenetur,
Angustosq; artus; humilis ludibria massæ
Rident, & duræ malæ gaudent aspera vitæ
Tot celeri fugisse gradu. Quid longius æuum
Ducere? quid Pyliæ tria secula ferre senectæ
Prodesset? quod enim ius illachrimabilis vrnā
Euadet nomen? qua se vertigine cælum
Voluit, Pegaseo vorat ætas cuncta volatu.
Nempè vbi vitali nos aurea sidera flamma
Afflatos iussère animam spirare, nocenti
Subiêcere colo. puncto mihi lùmen eodem
Contigit, & vitam ius triste recidere Parcis.
Quin audi, vt dirum possis mulcere dolorem,
Vt ter (vaticinor) magnos euoluerit orbes
Phœbus, & alta gelu durauerit æquora bruma,
Verq; nouum induerit radiatis floribus arua.
Pulchra tibi generis felix Isabella superbi
Incrementa dabit. gaude, Gulielme, dolorem
Exue, iam Gulielme, tibi pro funere magno

Maxima vita subit, qui te decoretq́;,leuetq́;
Natus in astra venit. iam iam damnabere votis;
Taurorumq́; cruor magnorum altaria sparget.
Me soluet teneris coniscans cornibus hœdus.
Tum Phœbi laudes, & carmina vatis amici
Sponte canes. venit hic magno cũ fœnore luctus.

Ad Stephanum Ruffam.

QVALIS *in Idæa soboles Priameïa silua*
Cum saturas ageret sub leue frigus oues:
Purpureos Paphiæ lustrauit frontis honores,
Doctus in exitium prò nimis ille suum:
Talis in aurati sedi testudine templi,
Mens peregrinatur sidera, lumen humum.
Spiritus abiecta ducit suspiria caute,
Mollitiem cordis vulnere tentat Amor.
Hei mihi quã facilè est Cypriæ succũbere fraudi,
Cum gemit, & sceleri mens inimica dolet.
Viderat hoc magni vigilantia Borrhomæi,
Et templum in partes diffidit omne duas.
Cidippen, miserè Latoidos arsit in æde,
Qui pomi insidiis cepit, & arte sui.
Præmia Tirrhenæ meritus Petrarcha coronæ
Luce sacra pallet, pallet in æde sacra.

Tertius

Tertius æthereа tibi ducor Ianthis, in æde
Præda, reluctantem me tibi vinxit amor.
Nec me fraude palàm petit insidiosus aperta,
Versat inauditos callidus antè dolos.
Aut sua depositis vestigia mouerat alis,
Aut aliena suo soluerat ora sono.
Ruffa videbatur solito sermone profari,
Si quid in ingenti est vrbe decoris, adest.
Quis Charites, Venerisq; ausit memorare lepores?
Fallor? an æternus deserit astra decor?
Conuerti demens oculos, animumq; reflexi,
Sic erat, æternum splendet in æde iubar.
Dumq; auidos dúco per singula luminis orbes
Stultus, & audaci numina mente noto.
Os, animusq; diu sine sensu immobilis vllo
Hæserat, è multis millibus vna rapit.
Trux Amor aurata de tot duo tela pharetra
Legerat, arbitriis præmia digna meis.
Nec felle illa virent, duplici nec vulneris hamo,
Quem facerent iaculis viscera rupta locũ?
Sed quæ perpetuis ardet fax torrida flammis,
Quæ totum in mæstos cogat abire rogos.
Nè tamen Aetnæus lachrimis concederet æstus,
Impulit algenti pectus inane metu.

Et vidi, & perii, nec vox, nec spiritus ori
Pectora iocundis attonuêre malis
Lumina nox dubia vertiginis obruit vnda
Concutiente auris tinniit ægra sono.
Insolitus gelidis proruperat artubus humor.
Deuorat ima color, concutit ossa tremor.
Tabidus ora color violæ pallore notauit
Non secus in Stygiis enatat umbra vadis.
Aspiceres utinam, nec Ianthis sæuior esses.
Non tibi Caucaseæ lac tribuêre leæ
Ferrea montiuagæ studiis Atalanta Dianæ
Sueta sequebatur per nemus omne feras.
Nec minûs Arcadios doluit miserata dolores.
Flexêre agrestes te quoque Luna preces.
Scilicet ingenuo pia mens spectatur in ore,
Et feritas pulchro pectore tristis abest.
Si pensum infelix trahit irreuocabile Clotho:
Turpia stat circum pectora dura silex.
Deforme, ut perhibēt, et in exorabile monstrū est
Horrida Tisiphone, Tisiphonesq; soror.
At potuit p̄cibus ferrū hoc mollescere, & Orpheus
Cerbereas blando leniit ore minas.
Quam vellent facinus diffingere Belides ausæ
Mortifera in sponsos (pro scelus) ire manu.

Vellet Anaxaretes miserescere amantis ephœbi,
Duritiem cordis ponere fata vetant.
Quid tibi Thesida memorem, mea gloria, lethū,
Quem consternati diripuêre feri?
Quid fatum infelix Penæa Virginis edam,
Quam noua surgenti cortice planta tegit?
Ille, vel illa (nefas) miserū contempsit amantem
Nunc gemit, ah siciles ille, uel illa suas.
Ruffa, quid arbitriū frustrà exigis? exige ab illa
Arbitrii non sum iam miser ipse mei.
Si tamen expectas ut rem sua signa sequantur.
Accipe. de tantis millibus illa placet.
Aut sic fata ferunt, aut me verū impulit, illa est
Iudice me, comites vincere digna Deas.
Vincere digna quidē est, rarū decus aspice formæ
Seu mouet illa oculos, seu tenet ora decet.
Quantus in incessu decor est! quæ gloria frontis!
Quæ uis ambrosio lactea corde fluit!
Purpurat ora rubor, modicumq; tumentia labra
Nec vitiū digitus, nec vitiū vnguis hēt.
Cætera felicem me, si laudare liceret,
O veniant numeris hæc aliquandò suis.

Ad

Ad eundem.

PIgnora cum patriæ, patriamq; absentia penè
Obliuione merserit.
Nec iam fallaci deludat imagine somnos,
Quæ macerabat anteà;
Cura memor, caream iam matre libètiùs almæ,
Duabus & sororibus,
Queîs non Heliades liceat componere quamuis
Dolore fratris arserint,
Et pia crescenti velatæ corpora libro
Padi coronent verticem.
Quid? non vnanimes iam cæca obliuia fratres
Delere corde gestiunt?
Tot mihi Theseo coniuncti iure sodales
Ferè premuntur poculo
Immemoris læthes. & desperatio rerum
Connexa penè vinculo
Sanguinis æterno propioris, vt expulit ore,
Sic mente pellit obruta
Curarum fluctu insano. quis crederet arces
Non sponte nostro Euasias,
Pectore casuras? viuunt & corde sub imo
Flammæ perennè sæuiunt.

His

Hic mihi, quem triplices vinxêre in secula nodis
Nomen, fides Laconica,
Et soboles quæ fonte sacro mersata ferentes
Nos alligauit arctius,
Quam si semen idem consanguinitatis eadem
Auri catena strinxerit.
Quid referam Hyppolitæ dotes animiq; decores?
Altè reuinxit spiritum,
Principis ætherei mihi fons, vtriusque mariti
Quid tot Dearum examina?
Quæ nil semper habent, cur nō ego tāgar: optū est
Nostri tibi nil ingenî:
Seu nigrior pice, seu faciem candore niuali,
Seu purpurato splendeat
Lumine: seu reliquas superet procerior omnes,
Seu par sedenti, mobile
Corpus agat breuitate sua, me qualibet vrit
Thedis vbiq; flammeis.
Inter quas, ac si rotet ora decentiùs, vna
Diana torret ignibus
Hanc mentem Aetneis tamen iis violētius vrges
Caput corona laurea
Ruffa nitens, animæ decus indubitabile nostræ.
Versaris vsque pectoris

Ante

Ante oculos seu Sol radios ascondit in vndis,
Seu promit arcus igneos.
Nil nisi Martis opus, nitidaq; hic aere phalanges,
Lateq; fulminantia
Agmina Bistonio bacchari digna sub Aemo:
Terramq; damnatam imbribus
Et Rhodopes calcare niues non Delphicus illis
Decor. decusue cognitum.
Non aliter furiant, si Martia pestis, Enyo
Pectus flagello verberet:
Sanguineamq; ferox intentet Gorgona Pallas.
Spumant Gelono sanguine (re certat
Nunc maria, et Scythico. Nunc Belga extingue-
Hispana trux incendia
Hesperios quoties exhorret Gallia fasces!
Cruore manat alueus
Ticini, & posito Franciscus Iberica fastu
Iura, & secures attremit!
Seu fora seu templum, seu me stellantia florum
Decore prata gemmeo
Excipiunt, lituiq; strepūt, & ferreus imber,
Minaxq; stridor cornuum
Pugnaces exterret equos, & puluere reges
Non indecoro sordidos.

Nausea

Nausea sunt animo cuncta, & fastidia misoet
Crambe relecta centies.
Acrius inde sacros absentia ventilat ignes,
Amorq; iure ardentior
Inflammat, nudare animi penetralia vellem,
Vellem latebras abditas
Pectoris arcani, non sic Arethusius olim
Damon inarsit Pythian,
Vt Michael te, Ruffa, tuus desiderat vnum,
Salesq; suaues expetit.
Ah quoties lustrata gradu pomæria nostro,
Iterq; iocundum subit!
Quot delatorum quot cancellaria risus
Mouit procax superbia!
Democritus lateri pendentes riserit enses:
Styloq; natam fleuerit,
Qui gemit ærumnas humanas pondere ferri
Pressam rebelli dexetram.
Quis non peruerso diduxerit ora cachino?
Cum cereas imagines
Aut Niobes, aut muto æquāt soror vtraq; numē
Niloticum silentio:
Nunc tenera saliens veluti satur hædus in herba
Tumet decens proteruitas:

Et

Et veneres æquant agiles imitamina ceræ
Magni Scopæ nunc æmula.
Non Plato, non lepidus contemnat Iberus, Ibero
Loqui ioco, vel seriò
Incidit, hærebat sermonibus aurea nostris
Venus, triplexq́; gratia:
Nunc domus in latebris noctesq́;, diesq́; remotis
Tenet. locutionibus (ægram
Exulat & Charitum lepor, & Venus omnibus,
Ignaua mentem inertia,
Prò dolor, eneruat. quis enim vigilata Gelonus
Desiderabit carmina?
Arma inter ferriq́; siles Astræa furores:
Quid lenis ausit Gratia?
Quid Venus, Aonidesq́; Deæ, nec lance, nec ensis
Horrore cinctæ vindicis?
Per Boream videor rupes errare per asperas
Inhospitalis Caucasi.
Et nisi me Ruffæ releuet spes certa videndi
Cogar malus succumbere.

In Mulieres inuectio.

T*Hestiadæ lethũ misero flãma intulit absẽs:*
Causa mali tanti spreta Diana fuit.

Atto-

Attonitis distractus equis Cythereïda sentit
Thesides iram, virq; Atalanta tuus.
Ille quod insanam fugit malè gratus amantem,
Immemor hic aris debita thura negat.
Nos quoq; si magnis componere parua licebit,
Fœminei in pœnas sanguinis ira mouet.
Nec generi iubet imbelli calor arma mouere
Ferrea, uindictæ gloria laude caret.
Arma furor sumit Parnasia, adeste iuuentus
Aurea; quæ turbet marmora Scylla, canam
Discite quod Scyllæ genus exitiabile, quasq;
Sorbet in abruptum vasta Carybdis aquas.
Siquis honoratas mendacia nostra puellas
Obiicit, & mecum mobilitatis agit.
Audiat, & meritò studia in contraria versum
Dixerit, ut primum Musa recantet opus.
Iusserat iniustum quondam defendere vulgus
Vulpius: & fragili tela mouere manu.
Ille autem contrà iustis stetit acer in armis.
Et mea nutabat causa, sed ille tenet.
Quod non diluerem tutò, nihil obiicit ille,
Non excusandũ dissimulatq; scelus.
Turba tumet, magnosq; angusto in pectore fastus
Concipit, atque animo non tolerãda mouet.
Suprà

Suprà homines suprà Heroas se tollere tentat.
Quis scit an aspiret turba profana polo?
Hoc tolerabilius quã quod mea carmina laudãt,
Oscula, laudato præmia iusta negant.
Ardua periuro Neptunus pergama regi
Fecerat, irata destruit ipse manu.
Mercedem quod Troia Deo negat, occidit, et me
Sentiat iratum perfida turba cadens.
Exuat immeritos scelerato è pectore fastus,
Cum subeant sexus, occupet ora rubor.
Accipiet placido ore lupos, ubi facta patescent,
Quodq; negat victrix fœmina victa dabit.
Quæ defensori negat acti præmia belli,
Accusatorem sordida forsan amet.
Cum Scyta uastato remearet victor ab orbe,
Seruorum in dominos sumpserat arma furor,
Cum vellent vtrinque pari concurrere motu,
Ancipitiq; suas Marte parare domos.
Turpe uiri, telis, queis debellauimus orbem,
Turba senum dixit frangere uile genus.
Accepêre manu mox verbera nota, caduntq;,
Qui nequeunt armis, conditione sua.
Pace tua Vulpi, vanos contemptus honores
Destruat, & cæcum fas aperire scelus.

Principio quid sit, dein quid faciatq́; velitq́;
Fœmina, dicendum est. Delie dexter ades.
Hic modus hoc noster sudabit puluere currus
Hanc metam emissus carcere pulset equus.
Parce potens nostro Cypri regina dolori,
Hûc feror æternos qua video ire Deos.
Absoluit Natura orbem, legemq́; per omnes
Cauta dedit partes regis egebat opus.
Extulit è viridi natus Vir corpora limo,
Accipit & valida sceptra gerenda manu.
Pulchrum erat illud opus, uoluit Natura secūdū
Edere, Hyperboreum vicerat astra gelu.
Frigore pressus homo est; saliitq́; è puluere mōstrū,
Fœmina corrupto mater acerba dolet.
Succūbat seruile, inquit, genus, imperet & uir,
Et latus immundū menstrua Luna premat.
Non impunè uiro fundat sua semina partus.
Ille incompositum pectus ubique domet.
Neu pereant olim nostri monumenta doloris,
Ingenium seruent quæq́; elementa suum.
Quin age cur variū, et mutabile semper, et omne
In scelus audaci fœmina mente ruat?
Natura cedit prima, & contraria vestit,
Quod sua corrupto corpore forma fugit.

Hînc quæ iocũdũ æquabãt modò Cæcuba nectar,
Et varios motus insita flamma dabat,
Guttura nunc lædunt tristi corrupta sapore ,
Pectoraq; assumpto frigore nostra premunt.
Nuper odor iocundus erat, nunc spiritus acer,
Et grauis aura venit naris amara lues.
Aeriæ natura plagæ purißima nosq;
Munere vitalis donat, alitq; cibi.
Indè cadunt mortes, & lethifer ingruit annus,
Si quando immundus rupit inane vapor.
Sic hominis verax animalia vincit imago
Cætera, sidereo par, similisq; choro.
Peius in orbe malum, si corruptela sequatur,
Inuenies nullum: pestis iniquus homo est.
Fœmina iniqu' hõ est, primũq; ex ordine mõstrũ.
Imperfectum animal, pestis amara soli.
Ritè vides igitur studia in contraria versam.
Virtutem quærit vir, cupit illa nefas.
Fortibus ille armis exercet, & artibus æuum,
Capta libidinibus diffluit illa suis.
Torua viros facies decet, & venerabilis horror
Oris, & hirsutis aspera crura pilis.
Deformes ungit viscato hæc polline malas,
Mercatoq; rubet murice picta palam

Densa supercilia, & medium discrimen inurit,
Et torquet ferri vi, medicatq; comas.
Dilatat frontem angustam, tenuiq; fauilla
Aut notat Aßyrio lumina parua croco.
Nec pudor est: laudem vitiis sibi quærit ab ipsis,
Consulit & speculum nocte, dieq; suum.
Nulla fides, blando venit aureus imber ab ore,
Bella ferunt, spirat cor, fremit arma furor.
Siquid atrox, immane, ferox, leue, debile, fœdũ,
Horrendum, infelix, exitiale tremis:
Tot pestes mens vna tibi est, fuge; clara iuuẽtus,
Sirenum cantus, Lotophagûmq; dolos
Heu latet infandum dulci sub melle venenum,
Occulit hic risus, blanditiæq; necem.
Hîc furor, hîc sæuit rabies: sua viscera ferro
Phasis Iasonia pellice læsa ferit
Prodidit & patrem; & lacerum per cõpita fratrẽ
Dißipat, Aesonios intret vt illa sinus.
Ausa thoro miseræ succumbere Phædra sororis,
Priuignum insidiis perdere nata suis.
Intulit inde manus sceleris sibi conscia diras,
Cum non speraret, quod prius illa nefas.
Quæ sibi fœminei decoris palmam arrogat, vna
Penelope, & laudem prima pudoris habet.

In neruo lasciua latus iuuenile procorum
Tentabat, poterat uis sinuare tamen.
Callida sed causam reperire libidinis aptam,
Vt socerum caperet, Thelemachumq; dolo.
Non erat Aenea tibi fas, Phanissa potiri:
Troiano miserum traiicis ense latus.
Defuncti sic illa viri comes additur vmbra.
Proq; Phereti ade sponte obit illa suo.
Iphias in flammas misit se insana rogales:
Quisq; foret longus dinumerare labor.
Nec pudor, aut pietas mortem, sed dira libido
Intulit. ardentes cur furiantur equæ?
Prouocat in pratis maiorem vacca iuuencum.
Prouocat immundum capra petulca marem.
Matrē elephas fugit; illa instat. petit ipsa camellū
Igne calens turpi mater, at ille fugit.
Sic vetitos fratris Byblis insaniuit amores.
Nec desperatum pertulit ægra nefas.
Cōmissum quis Myrrha, tuū, quis funera nescit?
Bybli, tibi pietas dat, tibi Myrrha necem?
Scilicet in furias agitat peruersa libido,
Fœmineum circa quæ fremit vsq; iecur.
Non amat at stimulis agitur furialibus indè
Aut flagrat, ut lapsis arida silua comis.

Aut odii flammis hostilis atrocibus ardet,
In pecudes rabies vt mouet atra lupos.
Damnauit læsum tenebris, & nocte pudorem
Oedipus, ast error non scelus illud erat.
Nec sibi fodit inops oculos Io casta, nec ultrix
In sua direxit viscera tela dolor,
Lemniadum quem triste nefas latet? una Polixo
Et matura æui mouit in arma nurus.
Cum natos, reducesq; viros, spoliisq; superbos
Threiciis, Orco dira dedêre manus.
Causa mali Veneris furiosæ insana cupido
Indoluit toties Marte carere suo.
Hypsipile patrem de tot modò millibus una
Seruauit patriiq; exulat ore soli.
Vnica cum totum pia regnũ, & paruula adornet
Fœmina consilium mox habitura nouum.
Ausit adhûc aliquis sceleratam intexere laudẽ?
Et fœdum verbis condecorare genus?
Quin etiã quîs vana dedit quōdã astra uetustas
Fictaq; virtutis laus dedit esse Deas:
Non semel inuenies castum violasse pudorem;
Ni velit antiquis fama negare fidem.
Vt taceam tua furta, Venus, lectiq; catenas;
Progeniem Mauors se negat esse Iouis.

Sub gelida Martē at Rhodope Iouis edidit vxor:
Sic habet, & nulli piguora nupta Ceres.
Et Latona duos, nec lecto iuncta iugali est.
Quasq; iubet noster dissimulare pudor.
Credebat sua posse tegi Pallantias olim
Crimina, quod pateāt, nunc subit ora rubor
Et sua furta putat cælari argentea Luna,
Latmius Endimion detegit illa tamen.
Quære, virū toties cur pulchra Proserpina līquat!
Cur cæli toties itq;, reditq; viam?
Fortè stuprum Bubo monstrasset garrula, si non
Ora premat rostrum, pectora penna tegat.
Obiicient subitò Virtutem; at mascula virtus
Dicitur. & nobis mascula multa nocent.
Nomina vana mares quasi sint, aut corpora liuor
Aut habeat pallor, morbus, atroxq; furor.
Quod sinè fœmineo nil surgat in aëra sexu,
Fortè tument; fastus subleuat indè ferox.
Non aliter quam si laudis quibus indiget vsus,
Aut leuis vtilitas omnia digna forent.
In muscas, culicesq; abeat nisi pestifer humor.
Seruet araneolus stamina ventre sua.
Non rana è limo turpi; non vipera terra
Se leuet arenti, nulla sit orbe lues,

Pur-

Purget in aërios tractus vapor ater, & orbem
Inficiat; mortes æthere mille cadant.
Ergò laude lues digna est quæ liberat orbem?
Detrimenta solo quæ grauiora fugat?
Est opus, euadat quo lethi faucibus orbis.
Quod noceat laudes perdere digna tamen.
Sic opus in superas vt homo consurgeret oras
Fœmina. quod perdat perdere digna decus.
Producit fœdum violas, & lilia gramen,
Producit pulchras horrida spina rosas.
Non ideò vincit violas, & lilia gramen
Non ideò pulchras horrida spina rosas.
Decolor ora pudor mutat, quam iusta negasse
Præmia, quam fastus, ingeniiq; piget!
Pæniteat, non plura sequar modò gratia nobis.
Digna iterum redeat, Musa recantet opus
O, nec naturæ primum, ac miserabile monstrum,
Capta libidinibus nec manus vsq; suis.
Aurea vos soboles, vos magnum, & nobile nomen
Parcite si dentes nos acuisse piget.

Teterrimorum hostium classem deuouet.

A*T ò superne rector, oculis qui vides*
Humana iustis arbiter.

Libra trisulca fulmen horrendum face,
Fretumq; tempestatibus
Nigris moueto, tangat alta aspergine
Cælum tenebris conditum.
Furentis vnda Thethyos. quid non cadit,
Vorante cuncta turbine,
Aether solutis nubibus vagum in mare
Hostesq; diros obruit?
Et ira uindex sæuiit Tritonidos
Vnius ob noxam Ducis,
Flammasq; pectore intimo Cyclopeas
Hæsit uomens Oileus,
Illisus altè rupibus; nec belluas
Pauit marinas largiùs
Ruina cæli, nutrière remiges
Laboriosi Vlyßei
Scillæ canes rapacis, nec uoragines
Charybdis ullus effugit.
Rheni lues pudorq; prædo sedium
Dirus sacrarum nauigat.
Soli rapinas Itali, & mundi vehit
Abila cruenta sanguinem.
Et furta furtis cogitat maioribus,
Cladem q; cladi adiungere;

Tantum

Tantum libido pectus aere exasperat,
Cruorq; fauces aridas
Semel receptus ore semper incitat,
Stimulosq; diros admouet.
Vastator Aquilo montium surge, aequora
Turbent ab imis sedibus,
Coniuret Auster, Hidra more saeuius
Vicina plaustro sibilet,
Arcturus hînc, & haedus, urnae hinc prodigus
Ili nepos insaniat.
Diem tenebrae contegant, nec aureae
Nautis Lacones sidera.
Adsint, amica stella nulla illuminet.
Vires Orion exerat:
Et ense saeuo terreat feras rates,
Thyrrhena quantus aequora
Iunonis olim iussu iniquae immiscuit,
Cum rostra Orontis obruit.
Premit nè caelum nubibus nox horridis
Tempestuosa? an fallimur?
O quanta claßis impiae pericula.
Manent, laborq; nauitas:
Virisq; planctus indecens formidine
Quaßabit altè pectora,

Lanianda

Lanianda rostris piscium, & crudelibus
Trahenda Phocis pectora.
Si det roganti facilis aures Aeolus
Classemq; & hostes deleat;
Niger quotannis agnus aras imbuet.
Memor perennè muneris.

In Sisoppurum Tipulanum.

QVis furor insanos geminat p inane boatus
Miscet et horrificis murmura vana minis?
Rauca Sisoppurri strepuit graue buccina signũ,
Aptius impuri bis nisi nomen erit.
Fallimur? an fœdas vocat in certamina muscas?
Imperat & culices tela parare suos?
Conuenit accitus muscarum, haud fallimur ordo.
Conuenit infelix, & fremit arma culex.
Ipse ciet turmas, stolidoq; in prelia cantu
Suscitat, ipse ferum turbidus agmen agit.
Impetus in cineres defunctaq; corpora vita,
Lectaq; composito sæuit in ossa cado.
Infandumq; agitat scelerato in pectore bellum,
Posse pati frenos scilicet astra putat

Diui-

Diuidit exuuias iam mundi, arcanaq; fingit,
Mutat & arbitrio res geniumq; suo.
Quid mirum, si sæua ruant in bella leones?
Si dentes acuant fulminis instar apri?
Si moueant diri virus lethale dracones?
Tygris in hostilem se ferat orba necem?
Cũ culices, cũ musca ferox arma, arma sumẽtes
Ausint in magnos fundere probra Deos?
Quid leuior tipula, diuos Tipulane lacessis?
Telaq; in immensum sumis iniqua polum?
Anguipedum exemplo sceleris uel desine fratrũ:
Si te nec pietas, nec mouet alma fides.
Frendet, & hortatus furit indignatus amicos.
Reiicit, heu medicas noxia plaga manus.
Extentis firmare cupit vestigia neruis,
Qui genua obliquo vix trahit ægra pede.
Aethera suspirat, vacui cui luminis orbes.
Surdus auet placidos accipere aure sonos
Nec ferrũ, vt valeat, crudele recusat, & ignes,
Ora nec optatis arida tingit aquis.
Vna salutiferam fugit ignorantia dextram,
Vnus Apollineam morbus hic odit opem.
Et pudet, & iustos monitus Tipulanus inhorret,
Nec maculosum animo ponere curat onus.
Dum-

Dumq; aliquo certat sceleris contagia velo
Occulere in maius labitur, itque nefas.
Nescio quas fingit mißas vtrinque tabellas,
Sic putat & culpas posse decere suas.
Bistonio concedat honor Parnasius Aemo,
Et Phrygia dignum Delius aure sonet.
Socratis incultum Margiten dextra salutet,
Phœbeum accipias Marsia stulte vale.
Scilicet is doctis labor est, ea pellit Olympo
Et superûm simili cura quiete uocat.
Nec minus intendit miscere latratibus orbem,
Qui nũc Harpocrates nec negat, alter erat
Ille fero causas rerum clamore patentes
Obruit, & Clarii uer populatur agri
Iudicat immensum volitare per aëra pisces
Et uolucres vdis degere poße uadis.
Aequoreos humore lacus, sola pondere priuat,
Quaq; iubet noster prateriisse pudor.
Ecquis enim magnæ finem, & primordia terræ
Deliræ attribuat murmure uictus anus?
Erubeam vultusq; notet rubor insitus: edam
Fabellas auiæ quot citat ille suæ.
Nec satis hoc, linquit terrã, & maiora capeßit.
Quanta, heu, de cælo somnia, quotq; refert!

Quid

Quid tibi cum cælo, muscarum insane minister?
Non benè das magno lintea parua mari.
Crede mihi, labêre, altam si tendis in æthram,
Et dabis Icario nomina more salo.
Præteritis lætare tuis, doctusq; uoluta,
Vtrum constet, ego credor amare Deum.
Creditur indè Deus à me, variabis, amari.
Hæc est, hæc curru meta terenda tuo.
Martino rerum sit cura euoluere causas.
Iuppiter an ruptis nubibus. Eure tones.
Quæ vis in montes pelago deduxerit amnes.
Quis faciat nubes halitus, undè pluat.
Cur rapida nequeat vertigine vincere motus,
Cætera qui raptat sidera solis equos.
Dißimulet doctus nec Barbauarius undè
Induat obscuras menstrua Luna genas.
Quas monstret clades, quibus exitiale comætes
Excidium, sidus prodigiale, ferat.
Quid rubeat cælum, quid palleat, undè profundos
Intumeat fluctus, detumeatq; Thetis.
Quid rapiat Phœbo lucem, mundoq; tenebras
Inferat ingenti Sandius ore tonet.
Sandius Aonios qui nos deduxit in hortos,
Ausus Apollineum tradere primus ebur.

Cui comes æternùm viridantia Socratis arua
Lustret et Argolicas Buccius auctet opes.
Vt quæ manè rubens extinguit lumina, seras
Accendat verso nomine stella faces.
Cur Cybeles coniux notet aëra, clara serenet
Progenies. alta Paulus ab arce sonet.
An variæ moueant animæ mortalia membra
Motet an immensum spiritus vnus opus.
Hic Bellana tuus labor est, ea gloria Guaitæ
Doctus ad hæc referat culmina Lana pedē.
Regnaq; pollenti spoliet Phlegethontia dextra,
Sistat & inuito stamina nostra Ioue.
Nec Lupus, Aueriæ gentis decus, aurea cælans
Iuuentæ augusti pectoris abdat opes.
Viuere quod nobis post funera restat: an vmbras
Fata pias eadem sanguineasq; manent.
Quæ cineres hominum, resolutaq; corpora dextra
Athérei rursus luminis igne nouet.
Deniq; quis terram societ calor, intonet, astris.
Et patri im tempus claret in omne suam.
Ingeniis patriam magnis quæ certet Athenis
Romanum exuperet classe, virisq; decus.
Nec minus ad superi conscendat sidera mundi
Baptista, & certo transuolet astra gradu.

Con-

Concentusq́; animo septemplicis hauriat orbis
Quæq́; premat Clarii cingula pinat equi.
Distantesq́; plagas, regniq́; arcana remoti
Visibus humanis subdat, vt ille suis.
Quos pater astrorum nascentibus inserat ignes
Vnde hic in rectum pronior, ille nefas.
Quos dent fata dies, quid cogitet impia Cloto.
Ottonai videat cura, laborq́; senis.
Nec te purpurea pigeat discedere ab aula
Pingoni, & Sophiæ visere castra tuæ:
Illa quidem excelsis quæ nomina traxit ab astris,
A Sophia clarum gaudet habere genus.
Hûc claros facunde moue viualde volatus
Cocitus leges hoc petat amne pias.
Scotia non dubia virtutem & crimina lance
Ponderet: et meritũ detq́; adimatq́; decus.
Haud neget ipse tibi liuor, Barbosa, coronam
Haud carpat laudes fama sinistra tuas.
Gaudet Apollineis Delos natalibus, hasta
Roma Quirinali, Gnosia terra Ioue.
Amphytrioniades Theben: Barbosa decoret
Lysiacam magnus sel velut alter humum.
Guatius humanas meliori lampade mentes
Lustret, & à dura rusticitate vocet.

Ipse etiam duplici redimitus tempora lauro
Ad duplices palmas, Magnocaballe, ueni.
Phœbea è tenebris inuenta Ginodius altis
Eruat, & ualida funera uincat ope.
Tuq; ò cui titulos campus dedit inclytus aureos
Ore expectatos da, Gulielme sonos.
Et reserans Ditis per te remeabile limen,
Vincla pete horriferas Mortis in arcta man⁹.
Ardua naturæ Sardina arcana recludat,
Spes Sardina meæ præsidiumq; domus.
Ille animas ipsis trahat è penetralibus Orci,
Et nouet extrema lubrica fata die.
Exprimat æternos generis mortalis honores
Quæq; animæ deceāt corpora Guaschus hiet.
Hîc tibi si Sophiæ calor est decurrere campos,
Sudandum, hoc magnæ nobile molis opus.
Magnæ molis opus, nec inutilis illa laboris
Pars erit, hac dotili tu modò mente cape.
Nempè nihil cordis tibi sit, nihil oris, iniquo
At pudor inuitas purpuret igne genas.
Mētis enim tenebræ & nō inscius horror oberrās
Turbabunt stimulis pectora stulta suis.
Vtq; aliquid lucis serò licet ore quereris
Heu nimium ueris te patuisse notis.

Impie quid mussas, auersaq; lumina torques?
Sanguineamq; aciē puppula dira mouet?
Demittet nè animos muscarum ignobile vulgus?
Quosq; vmbris gladios obiicis, ipse tremā?
Non ea te manibus rapient examina nostris,
Personas verbis dent, adimantq; suas.
Stulta, nec in tempus perduratura nepotum
Scripta nisi pœnas, vt meruêre, luant.
Entheus Aonias exercitus induet iras,
Falsa nec in sæuum concidet hasta caput.
Errandum nè vmbra Milano credis inulta?
Non tā cæca orbem sors rotat atra manu.
Nec te vita manet cœli tranquilla sub axe,
Heu miserum, nullo lumine carus eris.
Nec reliquis pax danda tuā comitabitur vrnā.
Effugies superos, Tartareosq; Deos.
Vt taceam, iusta quæ motus Apostolus ira
Gasa lacessita mittet vbique manu.
Si, quod se frænat generosa modestia, gaudes,
Vindictæq; datam differat illa diem,
Vt scelere exultet non longùm impunè Lycaon,
Tantalon vt diuûm presserit ira, vide:
Irrepunt lento tacitæ nempe agmine pœnæ,
Vibret vt alta memor fortiùs arma furor.

Quin etiam sociis sua stant quoq; premia, lapsos
Dirigat in melius ni Metanæa pedes.
Puniet aßiduo (siquid mea carmina possunt)
Calliope tantum vulnere nostra scelus.
Ne tonitrus, Pandulphe tuos, nè fulmina dicam,
Fulmina non telus tela minora Iouis.
Siquem fama mouet, si cuiquam est gloria cordi
Arguerit vestrum voce, animoq; nefas.
At pudet, & turpes mens conscia deuouet ausus,
Nec vitiis animum consceleraße iuuat.
Ergò age discißis maculas exclude tabellis,
Admonet hoc veræ religionis Amor.
Et dabimus veniam, & iustã frænabimus iram,
Pectoris ausa premas tu malè sana rudis.

Explicit' liber quintus.

MICHAELIS GASPARIS BELTRANI LVSITANI

SILVARVM LIB. VI.

Ad Hieronymum Ruuerium Archiepiscopum Taurinensem.



VI studet digno memorare plectro
Ruuerianum decus, ille solis
More conatur Phaethontis aureos
Ducere currus.
Hinc nouos affert atauis honores
Clarus æternis genitor trophæis
Sanguinis lumen, velut inter altos
Delius ignes.
Ille ductores pelago Othomanos
Fudit, hic Alpes superauit, ille
Fulmen Augustæ iaculatus arce
Terruit hostes.

Sed quid humanæ leue dignitatis
Lumen arridet? potiùs Curules
Phœbe diuinæ rapiant. ab aštris
Fluxit origo
Hæc fouet Petri ſolium perenni
Purpura, cœlo dedit imperantem
Iulium. clarus venit hinc eodem
Xiſtus honore.
Frenat Aſtenſes populos ab alto
Qui trahit nomen Domino, & tenaces
Ablui monſtrat maculas, piumq́;
Prendere callem.
Maior accedis patribus corona
Ruueri, laudis variæ corona,
Quæ nec aduerſæ labefacta ſortis
Concidat ictu.
Criſpus es, faſtos cane, Mantuanæ
Gloriam famæ referas, cruore
Æde Laurenti, Phrygióq; tinctos
Sanguine campos.
Verba deuoluas numeris ſoluta
Tullius fies, cane ſacra Paulus
Ritè, ciuili dato iura turmæ
Sancta, Lycurgus.

Iure Romani locus ergò cœtus
Inter, insignis, proceres tenetur.
Iure fulgentes veneranda cingit
Infula crines.
Si mihi virtus, animiq; verus
Simplicis candor, pietasq; digno
Ore contingant celebranda & alta
Lumina mentis.
Sponte concedat Latiale vates
Daunius plectrum, lyricaq; turma
Præferat magnis mea Dytirambis
Carmina rector.

Ad Clementem Viualdum.

V*Irtutis olim robore Martiæ*
Magni virebat Cecropis oppidum:
Spartanus abduxit triumphos
Ad Tyrias periturus arces.
Succeßit armis Media, & aureum
Sceptrum gerebas quod, Syre, vendicat.
Fractisq; Medis abstulêre
Laurigeri diadema Persæ.

Gazis superbam Thessala Persidem
Fregit iuuentus; Romula spiritus
Contundit acres, quà sonantis
Oceani fluit vnda, dextra.
Quæ terra vilem spernit inertiam
Virtute nitens, hæc caput exeret
Sublime, virtutiq; regnum
Par erit. hæc abit, hoc abibit.
Nil clara differt imperio domus,
Libans sacrarum præmia dotium,
Honore compensat labores
Aonios, creperumq; Martem.
Corneliorum sic genus inclytum
Attingit alto sidera vertice,
Magniq; contemnit trophæa,
Et rigidùm sobolem Catonum.
Clarum, perenni scilicet ordine
Deducta virtus, cui semel obtigit,
Non laudis expers, ast vt author
Imminuit vaga sors honores.
Probat mearum fama sub Alpibus
Sententiarum pondus, & indicat
Exempla. Viualdùm reportat
Orbe decus series ab omni.

Hæc

Hæc Marte parta fulget adorea,
Hæc monte parta laude Heliconio
Insignis, hæc sudat fideli
In Ducis obsequium labore.
Si prisca Clemens secula, volueris
Antiquiorem vis tibi Nestore
Domumq; virtutumq; ductam
Sit domui seriem fateri.
Sed clara nectat Mantua lauream;
Rhodosq; palmas doctior afferat,
Arcana recludant sorores
Aoniæ penetralis antri.
Laudes verendæ non tamen edere
Sit gentis. ergò pristina omittere
Quid non licebit? sat tibi aut
Laus segetem subicit recentis.
Vtrumq; cernes fulgere gloria
Fratrum. timendus Palladis Aegide
Baptista, Bernardinus arte
Iustitiæ melior seuera.
Alpina Musis regia deditum
Ducem senectæ legit, at horridum
Mauorte præfecit superbæ
Armisonis Melyte procellis.

Hic fulminanti terruit hostium
Mucrone turmas. ciuibus attulit
Solamen hic, & fraudulentos
Consilio repulit tumultus.
Sed raptat alti fama Aloisii,
Quem nec Cusyræ versa acies retrò,
Nec fregit obstantis periclum
Claßis & horribilis Geloni.
Infracta sæuis pectora cladibus
Romana vidit curia, tradidit
Cisternæ habenas, imperatq;
Ambiguos cohibere motus.
Cui bellicosi laus Hieronymi
Digno sonetur inclytà barbito?
Testetur armatos honores
Lentus Arar, Rhodanusq; velox.
Nondum timores Gallia frigidos
Excußit, horret trux Alemania.
Fortiq; vibratam lacerto
Turca ferox tremuit sarissam.
Huic tu decori laus data, gloriæ
Clemens paternæ haud degener euolas
Ad astra secretæ smaragdos
Iustitiæ reperire solers.

Miran-

Miranda certè proxima Apollini,
Miranda Marti proxima nomina.
Spectata, flammis instar auri,
Sed pietas superat, fidesq;.

Ad Ioan: Fran: Apostolum.

SPES *nisi pollicitis tenuisset, Apostole, vanis,*
Lenisset longas littera missa moras.
Sed, quoniam vera sperabam voce potiri;
Ah miseri, nimiùm pressimus ora diù.
At cùm nota tui mens sit Michaelis, amorq;;
Excuses nostras tu quoque iure moras.
Accipiasq; libens studiosæ munera dextræ,
Illa licet graue sit præteriisse nefas.
Fortè valetudo, studiiq; requiritur ordo,
Et status, inuenta est hinc, ideòq; salus.
Monte recedenti tumuerunt guttura Magno,
Et breuiter vocis clausa, cibiq; via est.
Seu tenuata malo nimii oppressère calores
Pectora, & in fauces noxia pestis abît.
Siue ægro demissa lues, & feruidus humor
Vertice, non solitæ seu nocuere dapes.
Quicquid id est, ternos soles febre torruit artus.
Et miserum veluti fixerat ense caput.

Illa foret, magnus nisi Pallaresius vltrò
Leniſset, vitæ fortè ſuprema dies.
Addidit ille malo fomenta potentia, & æſtus
Reppulit externa non malè cautus ope.
Interiora dehinc ſumpto prius ore liquore
Guttura lenita detumuêre lue.
Nec tamen ex facili, collectus inhorruit humor,
Et ſenſim putri tabe ſolutus abît.
Scilicet haud vno patefactum eſt hulcus hiatu,
Et caput exoluit triſte dolore dolor.
Addit opem parti mox Pallaresius ægra,
Et fera Pæoniis hulcera lenit aquis.
Nunc fruor optata, tibi quã precor vſque, ſalute.
Hîc vbi ſulcat agros, & ſata culta Padus.
Caſalisq; arces, & mœnia prænatat alueo,
Cui cedat Phariæ gloria, Nilus, aquæ
Mulcet Alexandri larga indulgentia, mulcet
Guatius Aonii ſpes, columenq; Chori.
Affectu ſequeris me Magnocaballe paterno.
Vt ſileam quo me Vulpius ore fouet.
Quid caret inuidia? nõ deeſt quæ gaudia turbet,
In pœnas audax Cecrope nata ſuas.
Offenſusq; aliquis noſtrum indignatur honorem,
Et miſer incaſſum rodere dente furit.

Clàm tamen. & belliŭ cum ſpiret flebile pectus,
Riuulus Hyblæo lacteus ore fluit
Diſsimulo, ſpeculorq́; caua ſub nube profanum
Occultātem odium. nec mihi credo tamen.
Indignorq́; oculos, verosq́; indignor amicos,
Quod pateat rupto fœdere fictus Amor.
Nec minus inualidam nitor defendere cauſam.
Eſt aliquid de te ducere nempè decus.
Quod ſupereſt ſi fortè calor iubet oppida inire
Hæc breuiter, nec ſpes pectus inanis alit.
Hoc votis Beltranus auet tuus omnibus vnum,
Nè pigeat recta nos petiiſſe via.
Hoc precor, & magni fuerit mihi muneris inſtar
Sis memor ut noſtri, ut sŭ memor ipſe tui.
Quî valeas, valeatq́; domus qua pendeo, uultus
Dum mora dilectos arcet iniqua doce.

De Iacobo Lana.

VIderat Infernæ moderator perfidus aulæ
Ipſis è penetralibus Orci
Extractos ſuperas iuuenes in luminis oras:
Nec, viuo, ſibi reddere Lana,
Penſa Deas amiſſa ſemel valuiſſe furenti
Aſsimilis bacchatur in arce.

Fœde-

Fœdera rupturus rerum concordia cœlo
Bella parat, ni Iuppiter arma
Horrida terribili iaculatus ab æthere dextra
Exitium miserabile Lanæ
Inferat. ergò neci Phœbi demissa nefandæ
Progenies, ait, occidit vno
Crimine. (si crimen modò sit parere Dianæ,
Nos lana irridebit inultos?
Huic dabitur leges fatorum spernere, & ipsis
Ius vel formidabile Diuis?
Ah quoties animas iam iam vada liuida remis
Sulcantes reuocauit ad auras!
Matres, atq; viri, puerorumq; agmina vulgò
Concurrunt, & numina Lanæ
Sola colunt. nos æternùm sinè laude profundum
Indecores habitabimus orbem?
Et quæ iura dedit nostris sors tertia regnis,
Iura quidem nullo irrita seclo,
Immeritò Stygii cogentur perdere Manes?
Dissoluam rata fœdera pacti.
Saturnum vinclis, vinclis releuabo Typhæa.
Tænarias laxabo catenas.
Vexabit positis pubes Titania nodis
Centeno vaga fulmina motu.

Eume-

Eumenidum tenebrosa phalanx alimenta furori
Adiiciunt, victaq; dolore
Atropos, & geminæ clamabant bella sorores.
Pertimuit, natumq; vocauit.
Iuppiter inq; orbis penetrare arcana sepulti,
Et patruo mandat a potenti
Ferre iubet, traditq; suam breuis ordine mentẽ.
Ille lacus descendit in imos:
Et vidit vario loca feruere cuncta tumultu.
Hic manes ad bella parati
Arma fero clamore fremũt, arma, arma nocentes
Ingeminant, acuuntq; furorem:
Et procul abiectis vinclis timida astra lacessunt,
Atq; animis audacibus vrgent
Incaßum. mediis in millibus aspicit ipsum
Rectorem crudelibus atrum
Terrentẽ Phlegethonta minis. hũc se intulit alis
Insignis, virgaq; potenti.
Obstupet, imperiumq; Dei iubet edere Pluton.
Ille refert. Cœli arduus alti
Regnator iubet ista feram mandata. quid atro
Sollicitas pia numina bello?
Nec tangit superi diuina potentia Lanæ
Tartara, Tartareasq; phalanges?

Quid

Quid struis? an nè Deis vlla immortalibus arma
Cyclopum vel tela nocere
Posse putas? non artis opus, sed numinis ingens
Hæc agitat præsentia magni.
Debetur cælo (nec te latet) ille. quid ergò
Mente furis? quid iurgia iactas?
Quod quæris, non, si ipse velit moderator Olympi
Hunc valeat demittere morti.
Pone minas. animosq; tuos, gentisq; coerce.
Nam dabitur superabile quicquid
Est cælo. neu tanta pius tibi funera Doctor
Arripiens Acheronta superbis
Insignem spoliis uiduet tot sæpè trophæis
Efficiet Rex ætheris. olim
Te (mihi crede) manent etiā tua iura, tuosq;.
Fas, & inexorabile Clotho
Voluat opus, digito trahat irreuocabile pensum:
Seris, & iuuenilibus annis
Stamina cùm gemina præcidat sæua sorore.
Erubuit præcepta Tonantis
Dux Erebi, & tumidas flammati pectoris iras
Deposuit: dictisq; probatis
Annuit. ille autem tenebras, noctēq; soporam
Tranat ouans, ripamq; souantem

Euadit, celeriq; petit supera alta volatu.
Stelliferis hæc hausit ab oris
Inq; Valentinis Saturnius astitit aruis.
Aeterni quò fœdera pacti
Aeterna mansura fide sanciret. in agros
Coniecit mala semina morbi
Lanæ artus; iußitq; fera torpere podagra.
Vt constricti frigore nerui
Firmato nequeant vestigia ponere gressu.
Hæc lachrimis dein cœpit obortis.
Quæ Stygiæ labes erumpit gentis in astra,
Et superûm metuentia cogit
Pectora? parce, precor, Lana, & solamen habeto.
Nec longo cruciabere morbo.
Et te digna manent virtutis præmia, pacis
Quandoquidem commercia firmas.
Bellaq; terribilemq; orbis vetuisse ruinam
Es potis, hoc languore fugato
Suspicient, meritoq; colent venientia numen
Secla tuum, sic aurea serus
Astra petens, Diuûm turmas spectabis ouantes,
Tuq; etiam spectaberis illis.
Dixit, & Ambrosia totum perfudit in astra
Se cursu dein præpete misit.

Ad Aluarum Gomezium.

FOrte qđ antè, vetas, reparēt quã priſtina vires,
Scribere; lenimē pectus inane fouet.
Non valeo: ſolitoq; premit fortuna tenore.
Gaudia pone animis, Aluare vana tuis.
Nam malè vitati non exuperabile morbi
Hæret in afflicto pectore ſemen adhuc.
Frigidus indè humor dextrum delapſus in orbem
Cimmeria lumen flebile nocte premit.
Hei mihi, quos, qualeſq; dedit Medicina liquores!
Fallor? an has Stygius miſit amaror aquas?
Bis tamen infando præcordia lauimus hauſtu,
Ora ſapor, nares conficiebat odor.
Hoc aloes ſuccus ſapit, hoc absynthia, talis
Aëris infeſtas, triſtis Auerne, plagas.
Hauſit ſanguineos ignita cucurbita rores,
Terg aq; tot ſulcis preſsit arata ſemel.
Vena bis emiſit leuiter pertuſa cruorem,
Mortua non alia corpora tabe liquent.
Depoſuêre pedes diros, ſuræq; tumores.
Non tamen exceſsit funditùs indè dolor
Frigoris attonitos vexant contagia neruos.
Nec tali, nec dum tibia ſentit opem.

Sentit

Sentit opem pectus, pars corporis optima, sentit
Iam liber pestis pulmo prioris opem.
Quid tamen hæc prosunt? piceæ caliginis vmbra
Ingruit, & nubes non minus atra premit.
Non Heliconis opes, non exultantia Tempe,
Grataq; Pegasei me pedis vnda iuuat.
Quis p amæna probet Thamiran pomaria ferri?
Monstret Apellæū quis, nisi stultus, opus?
Nil certè iuuet indè, oculis hic acribus vsus,
Lumine quid captum ducis vtroq; senem?
Nec satis hoc Fortuna, premat nisi vulnera vulnus,
Ni mala sint altis accumulata malis.
Ecce noua febris torrentur corpora flamma.
Visus eram nimium febre vacare diu.
En iterū pulmoni humor mouet arma rebellis:
Insultuq; aperit pectoris ima graui.
Inflati reprimit tumor intestina lienis,
Auraq; vsurani dulcis, vt antè, vetat.
Quid referam subitos iecoris, laterumq; dolores?
In mala compellit deteriora lues.
Vena iterùm nocuos deuoti sanguinis imbres
Secta dabis docta terq;, quaterq; manu.
Flamma remordebit vitro data stupea tergum,
Vdaq; purpureo vulnera rore premet.

Neu pars vlla suo sit corporis orba dolore,
Vret susceptus sinciput ignis acu.
Setaq; traiiciet ceruicem tortilis ægram.
Vt solitum mutet fons nebulosus iter.
Sed iam deficiunt, & vox & spiritus ori
Rumpit & inceptum noxia febris opus;
Ergò vale, seruaq; libens absentis amorem.
Nostram olim celebrent secula sera fidem.
Si violare ausus legum præscripta tuarum;
Culpandus qui me scribere iussit, Amor.

In Delatorem quendam.

DElator pestis placidæ inuidiosa quieti
Me ferit, in mores inuehiturq; meos.
Quis sit at ille, latet, nec adhuc cognoscere prõptũ
Væ tibi, delator, si mihi notus eris. (est
Non te Pieriis rapiet trux nomẽ ab armis
More licet causas tu Ciceronis agas
Sed quid non acies oculi penetrabit acuti?
Appositis nomen sit reperire notis.
Sponte sua rabiem vomit ignorantia, laudes
Cum nequeat recti uendere, probra locat.
Vicimus, iudicio patet vno hoc, incipe Clio
Bella infesta nocens obruat hasta caput.

Sed, patiar lateat paulisper, & abditus esto,
Mentis erit tandem proditor ipse suæ.
Aethereæ nos interea præscripta sequamur.
Legis, & errantem corripe Musa semel.
Sed quia te frustrà conatus fallere blanda
Ore pius, mendax pectore verba seret.
Corripe sed vero positis pro nomine signis,
Audierit pœnæ fortè timore suæ.
Indè iterum morum sordes, iterumq; monebis.
Asperitas vtinam cedat iniqua tibi.
Ne quicquam fomenta paras, medicabile non est
Vulnus, et omnigenã morbus hic horret opem.
Pestis opem renuat. sit & insanabile uulnus
Quid noceat medicas applicuisse manus?
Longiùs incepto ferimur tamen. edere signa
Pollicitus lateat nè leue nomen, eram.
Ille sacerdotis magno aspirabat honori,
Et vestem à tenero detulit ungue sacram.
Vtq; ministeriis impar spe decidit, & mens
Obsita silvestri rusticitate labat.
Altiùs vt patriis caput acre leuaret aratris,
Aut malè conductas nè sequeretur oues.
Clamosi rabiosa fori vænundare cœpit
Iurgia, cumq; ira verba locare sua.

Scilicet hæc ſtolidæ ſtatio certiſsima mentis,
Hæc ſpes, hic portus ſubleuat agmen iners.
Seu quis Apollinei deiectus culmine montis
Obruta Cimmeria pectora nube dolet.
Cauſas, inquit, agam; pretium modò concitet irã,
Non acuet dentes ſæuiùs orba tygris.
Seu datus eſt ventri, & caſtris ignobilis oti
Congelat, vt leuior cura, laborq; premat.
Hûc quoq; flectit iter, ſeſeq; ad iura receptat,
Et violenta inſtar fulminis ora rotat.
Nec placet innocuum valida ratione tueri.
Quid ratio; neſcit qui rationis iter?
Et iam cauſidici iam nomina vana periti
Arrogat, & leges polluit ore pias.
Infelix Aſtræa (licet ſic dicere) diras
Paſſa manus toties nũc quoq; pulſa gemes.
Et duce ſpes animum Gulielmo erexerat olim
Exilio finem ponere poſſe tuo.
Ille quidem pius eſt, & te vocat, inque tribunal
Attollit iuſtum; ſed manus atra fugat.
Purpureo, Dux magne, thoro deſcende pariiper,
Caſalisq; ſolo lumina pone tuæ,
Conſilio ceſſère tuo Titanes, & armis,
Merſit & authores vis malè ſana ſuos.
Nunc

Nunc superest alios, monstra exitiosa, Gygantes
Inuisum paci pellere ab vrbe genus.
Quæ sceptri gens iure tui iacet obruta, vexat
Oppida, cum nequeat bella mouere tibi,
Fallimur? an Stygiis prodit mala pestis ab antris?
Proiice Tartaream, Dux Gulielme, luem.
Eiecit nocuum quondam Germanicus agmen,
Pestis & exilium, quod dabat, ipsa tulit.
Cæsaribus nec nota piæ fuit orbita legis,
Cura tamen patriam liberat æqua suam.
Vnde tamen quæras, odiis subiecimus ignes,
Cum mens sit nullum lædere nomen: habe.
Cum modò præstanti nimpham virtute decoram
Duxerit, iniusto sors rotat orbe solum.
Et mea virtuti data pectora, ceu decet, uni
Nouit, Amor paribus par ligat unus, ait.
Sic quoties subeo (timor ecce ignobile pectus
Arguit) ima graui frigore corda gelant.
Et pudor indignū thalami malè rusticus urget.
Creditur, & stulto verba datura nurus:
Infandū premit indè odiū, premit inde nefandi
Conscia mens. sed nec prouocat ille palàm,
Infelix virgo, quid forma, quid artibus altum
Nunc animum variis excoluisse iuuat?

Si delatori stolido pulcherrima forma
Ludibrio, variæ sunt tot & artis opes.
Debuerat certè similes sibi quærere thedas,
Si modò Thersitæ par erat vlla thoro.
Tisiphone cælebs cur est, geminæq; sorores?
Par furiis monstrum Styx violenta tulit.
Infernos illum decuit celebrare Hymenæos:
Inferno saniem qui vomit ore trucem.
Tu tamen infandi Panope secura mariti
Legitimam serua, ceu decet, usque fidem.
Nec stolidum spectato virum, sed mentis honora
Cura sit vna tibi. cætera sorte fluunt.
Lemniacum Cipris deceperit aurea Regem,
Insano dederit verba Lacæna viro.
Arserat inter nos flammis Amor æquus honestis,
Nunc quoque, ceu fas est, arserit ille, sines.
Vir fremat, & dentẽ ne quicquã dente fatiget,
Maßilûm in mediis vt basiliscus agris.
Gaudia luctus habet, uenit è sudore triumphus,
Toxica Tartarei vince, animumq; viri.
Quod nisi pestiferæ virus diffundere linguæ
Desinat. ablata prælia pace geram.
Nomen, & ingeniũ, & mores, & facta patescũt,
Væ tibi, Delator, si probra plura vomes.

Ad Fabium Montium Casalen. Quæsit. pro Apostolo Apologia.

REgna Iouis Stygii nō horruit īsima These⁹
Iustaq; ter gemino bella mouere cani.
Non vt atrox Graia gemeret sub cōpede Pluton,
Et premeret duros Tartarus ore lupos.
Vt tegeret charum caput auxiliaribus armis
Irruit in certæ certa pericla necis.
Non mihi Pieriis, Monti defendere telis
Pirithoum dabitur vel sine cæde, meum?
Nec vereor liuor malè fidas applicet aures,
Nè sit tutelæ causa pudenda meæ.
Non ille aggestas instruxit in æthera moles.
Incestare thorum nec Iouis ausus erat.
Gnoßius integram quæsitor mouerit vrnam,
Pectoris hoc niuei confiteatur opus.
Sed benè iudicio quod Montius arbiter isti
Ceßit, in hanc nullis vim datur ire dolis.
Concitet omnigenas iniustaTrágœdia turmas
Tisiphoneq; suum vulgus, & Ira suum.
Effera securis calcabimus agmina plantis,
Et furor auctores obruet ipse suos.

Nec vexata tremit dubiis in rebus honesti
Conscia mens, iudex dat tamen æquus opẽ.
Cerbereos oculis lustrare audacibus hidros,
Vindictam genitrix cui dedit, ausus erat.
Et dirum scelus ille, scelus dum vindicat, addit.
At stabat causa pro meliore Dea.
Nec pœnas à matre meus truce poscit Orestes,
Et furias vulgi verbaq; uana tremet?
Addit opem, & causæ pietas, & Montius, insta
Vulgus inops, insta, Montius addit opem.
Et quis adhuc dubio ferri mortalia casu
Autumet? & nullos dißerat esse Deos?
Quid, nisi munitas Musarum Montius arces
Signat? in hunc montem confuge, tutus eris.
Non ideò, siquid peccauit Apostolus, orem.
Supplicium Monti, si meret ille luat.
Nil ideò mores si lustrat Apostolus aureos,
Si fugat infandum crimen ab orbe, rogem.
Sint culpati operis certamina nuda, negetur
Quæ pro tot meritis gratia danda fuit.
Si tamen hostiles non perculit ille phalanges,
Cum gerat inuicta fulmina iusta manu.
Tunc scelerum soluas nos suspicione rogamus.
Et macula in uentos irrita tristis eat.

Nos

Nec dubito, quin iusta probes pro mōtibus arma
Sumpta tuis, cœtus pro duce sumpta tui.
Non est candorem defendere cura sodalis,
Præsidium virtus una salutis erit.
Pro Phœbo Musisq; libet descendere in æquor,
Iustaq; Pieria tela mouere manu.
Iudicis antè trahi uulgi subsellia more
Credibile est magnas erubuiße Deas.
Erubuit Paan (ita credere oportet) & alta
Decolor infecit, prò scelus, ora pudor.
Aspice barbaricis tremefact ů horroribus orbem
Dic, vbi signa trucis tot feritatis habes?
Polluit occiso ferus hospite templa Britannus.
Concanus epoto sanguine gaudet equi.
Accola Bosphorii maris, accola terreat Istri:
Sæuitiamq; tremat terra Gelone, tuam.
At non barbaries talem hauserit horrida labem,
Non illa in summos mouerit arma Deos.
In duram vertit Propetides impia cautem
Lingua negare ausas te Citherea Deam.
Obruit Anguipedes infelix fabula fratres,
Qui te Phœbe ausit, lædere inultus erit?
At, puto, iudicium expectant: ui perdere quærūt,
Iura nec obseruant qui modò iura petunt.

Inua-

Inualidæ signum est nulli dubitabile causæ
Intentare illi vim cui iura pares
Sed furio, nec crimen id est, vt terreat, hostes,
Vt perhibent, ficto nomine Musa premit
Probra vomit: quæ probra? gulã insectatur ĩ illis
Asper in hoc veneris furta, dolosq; notat.
Obiicit huic linguæ retinacula; pectoris illi
Sunt versuti astus, purpura crinis huic.
Ecce immane nefas & non nisi morte piandæ
Crimina, cum vitiis conseruisse manum.
Indiciis inimica notat sed nomina certis.
Hac prohibet primus suspicione liber.
Cerne Fabi, inuenies epigrãmata bina, Deasq;
Illa dabunt falsi criminis esse reas.
Nullus in hoc, inquit, populo se carmine læsum
Cogitet. at vitiis me notat ille meis.
Grates lætus age, & medicæ nè subtrahe dextra
Vulnus, abes vitiis; quid probra vana gemis?
Nec niueum pectus nec sordibus ille notatum
Prouocat, in fraudes arduus agmen agit.
Purpureum Musarũ agmen, nec nomina mutat,
Sed vetera; & vitiis consona signa dedit.
Zoile nomen habes, cui mens contraria Musis,
Balbulus, & Balbus, Byrsaq; finxit Iber.

Cur

Cur non & vatem trahis ad subsellia Iberum?
Te primum inuisa perculit ille nota.
Mæoniden cur iudicio non subiicis isti?
Ille tibi nomen Zoile triste dedit.
Quid? si te contrà crisparet fulmen Iambus
Quæq; Lycambæo tela cruore madent.
Res animi, Brignane, tui desiderat alta
Consilia, & totum te locus iste petit.
Nil mihi cum reliquis, te doctus Apostolus vnũ
Vel propter studii, vel bona mentis amat.
Ille ego, si qua fides, quem nomine iudicis ornat,
Quem non consiliis expulit ille suis:
Testor in ore tuas laudes, et facta gerebat.
Nuda vides odiis pectora, nuda dolis.
Sed tua me recreat sapientia, uideris olim
Quẽ reprimis puras fraudis habere manus.
Nec curam damnabo tuam. multa impulit ira;
Et reor errorem, non scelus esse tuum.
Impulsus vario rumore exarserat ignis,
Scommata si cernis falsa fuisse patet.
Iudicat hoc magni prudens sententia Monti,
Mens nihil à nostro discrepat ore tua.
Et sentis, nec vana fides, mea dicta, probasq;
Pirithoum Monti crimine solue meum:

In te præsidii quæ spem posuêre sorores,
Tutorem celebrent tempus in omne suum.
Finge Deas, Phœbumq; tuũ stare antè tribunal,
Sollicitaq; humiles addere voce preces.
Finge sacrum pedibus vates prosternere crinem,
Proq; sui socio fundere uota chori.
Solue DEOS, *Monti, vatum si gratia vilis.*
Et si hanc non parui ponderis esse reor.
Aspice, virtutum veneranda examina clamant.
Si vatem perdis, nos quoque perde, Fabi.
Quid fraudem, & diræ fuget irritamina fraudis,
Si scelerum vltores vox inimica premat?
Euellit fibras vitiorum Musa tenaces
E tenera puerûm mente, scelusq; fugat.
Luce palàm, rebusq;, & nomine regna lacessit
Persius; hunc diro tu quoque trade rogo.
Archilochus plenum rabie distrinxit Iambum,
Perde, socer collo flebile nectet opus.
Actius in sextum inuehitur, magnumq; Leonẽ,
Claudere ius illis, ius aperire polum.
Inferat in cineres vna fortuna ruina
Quodq; recens ætas, quodq; vetusta tulit.
Denique si vitiis non est indicere bellum,
Quid non Socratici ver populamur agri?

Quin

Quin etiam liceat delubra excindere Diuûm,
Quæq; immane fugat pagina sacra nefas.
Non opus hortatu tamen est; ea Montius, æqua
Omnia qui trutinæ ponderat, ipse uidet.
Iudicium Montî qui poßit dicere falsum
Non metuat sanctos ille negare Deos.

Ad Cæsarem Cambianum.

QVid Musa differs Cæsaris enthea
Vincire serto tempora laureo?
Ostro nè largiri virentem
Sidonio pudeat coronam?
Orna sed illis frondibus Aeaci
Quibus capillos ante ligaueras,
Fratrisq; Dictei secures
In Stygios trahis vsque fines.
Quas nec rigenti grandine Scorpius
Quatit, nec atrox Sirius æstibus
Torret, nec Hispani tyrannus
Oceani Capricornus vrit.
Seu facta quæras fortè uirilia,
Seu te iuuentus florida mouerit,
Moresq;, uirtutumq; splendor
Quæ tenero bibit ille ab ungui,

Nil

Nil fata terris tale fatebere,
Iouisq; amicam sollicitudinem
Dedisse, nec primi metalli
Si redeat series, habebis.
Seu Cambianæ stirpis imagines,
Cerasq; malis voluere gurgite
Laudum obrueris, nec seqnaces
Sustineas cumulos honorum.
Astræa pectus scilicet arduum,
Plenumq; sacris dotibus hauserat,
Tu purpuratis inquit, esto
Præsidium, columenq; turmis.
Nec plura, sedit mentis in intimo
Clarum recessu Iustitiæ iubar,
Hinc iuris obstantes tumultus
Soluere, difficilesq; nodos,
Vero tenebras pellere, præmio
Donare mores doctus amabiles,
Iustoq; vindictæ profanum
Plectere flagitium furore.
Non pulsus hæres limine, patria
Pro sorte pallet, non premit impotens
Aurum indigentem: non procaci
Prostituunt aliena libro.

Virtus amatur pauper, inertia
Nec diues audet cornua tollere:
Nec crimen vrbi, nec iugali
Culpa thoro maculam refundit.

Qualis receptis fascibus inclyta
Romæ excubabat Brutus in vnicam
Audax salutem pestilentes
Vsq; fugat scelerum ministros.

Sic floruerunt Cecropis oppida
Solonis olim sollicitudine,
Spartana sexum virgo magni
Consilio posuit Lycurgi.

Dignata prima talia purpura
Fuêre facta, & cura salubribus.
Per lustra iam terna institutis
Iuigilans, Caroliq; dictis.

Sed quarta lætam præside curiam
Vidêre lustra, & murice fulgidum
Aequanda virtuti potestas
Iure regit merito senatum.

Elucet actis splendor in omnibus
Carli, sed altæ vim sapientiæ
Delectus ostendit virorum,
Et series sacra dignitatum

De

De Guidone Ferrerio, & Vincentio Laureo Cardinalibus.

QVi spem salutis collocat in Deo
Suæ. nec atris vnguibus imminens
Lethum, nec Inferni furores
Terrifico moueant tumultu.
Vt Terra pellat Nerea, Nereus
Terram impotenti subruat impetu,
Cœliq; debacchentur iræ
Cladibus in populos tremendis.
Non Terra, non trux turbine Nereus,
Cœlumq; sæuis territet ignibus,
Refixa prolabantur astra,
Nil trepidæ noceant ruinæ.
Hæc æstuosis fluctibus obruta
Tellure, Noam dextera naufragis,
Insana cum sors intonaret,
Incolumem rapuit periclis.
Pulchræ Rachellis filius hac ope
Mentem solutus crimine, compede
Crus liberatus, pauit Hebri
Pane sacros Phario nepotes.

Hæc

Hac vorticoso dux ope Persico
Viam imperauit legifer. astitit
Hinc, inde muro vitreo æstus
Attonitæ piger Amphytrites.
Hac vis arenas solibus inuias
Leniuit vmbra, lampade luridas
Latè renidenti tenebras,
Et miseros minuit labores.
Hac arte duro marmore limpidi
Fluxêre riui grandinis impluit
De more panis, texit arua
Alituum velut imber agmen.
Prædam cruentis nos quoque gentibus
Iam destinarant numina moribus
Offensa nostris: obstititq;
Iustitiæ pietas seuera,
Gratum elocuto consiliantibus
Ioanne diuis: Thracia, Thracia
Reuulsa ab ima stirpe regna
Intereant, Arabumq; fasces.
Hîc pertinaces impia spiritus
Hausêre Lernæ toxica perfidæ, &
Partem Gygantæi furoris
Eumenidum manus atra fudit.

Custos Iberi finibus, & Padi
Zebedeianus ſanguis, & aurei
Soli coruſcantes coloni
Et domini pia cura cauit.
Mihi, tuendi ceu patrimonii
Sors priua, ceßit gloria principis,
Et laus Subalpini, decorum
Perpetuùm memoris meorum.
Ne ſerpat oras virus in vltimas,
Quod alta ſparſit per iuga Cerberi,
Caluinus in ternos recludens
Ora ſonos triplicata, ritu.
Neu ſerpat oras virus in vltimas
Quod alta Rheni per freta diuidens
Fœdauit obſcænis ab Arcto
Heu maculis Ararim Lutherus.
Sacro Guidonem robore cinxeram,
Cinctum ſuperna vi quaq; Laureum
Addam, cruento ianitori
Perniciem Stygioq; Rheno.
Illum niuoſis iura ſub Alpibus
Vercellæ adorant dogmatis enthei,
Regalis hunc Mons; vtriuſque
Cura premet ſcelerum miniſtros.

Si fre-

Si fregit ergò milite Sisaram
Superbientem nobilis Issacus,
Et Salmanam frustrà latebras
Cum sociis timidas petentem;
Absorbat hostem vis Nepheleïdos
Vndæ, Gelonus nouerit impius
Cœlestis vltorem furoris
Non rabidas valuisse dextras.
Sed Dedaleis frata laboribus
Thalia sedes appetis igneas
Descende nec dignam superbo,
Detere materiam cothurno.

Ad Aluarum Gomezium.

QVot mouet Oceanus fluctu spatiosus arenas,
Quot mouet arboreas p nemora aura comas
Mænala quot pinus, quot habet & Gargara mes
Tot ferar officiis auctus vbiq; tuis. (ses,
Auxiliis nec tot Phrygium leniuit Elysa,
Peliacam nec tot Lempos amica ratem.
Quod spiro et uigeo nec præ ferus opprimit Orcus:
Muneris omne patris muneris omne tui est.
Vos mihi cum crimen fortunæ triste iacerem,
(Alware scis ficto non purius ore loqui)

Nō homo, sed species hominis, sed inutilis umbra,
Sic primum pestis presserat atra decus
Omnigenā quoties mersit, vel sustulit undis
Sol currū, omnigenam sponte dedistis opem
Certabat tecum patris indulgentia, matrem
Ipse tuus nostri sollicitabat amor.
Quid suscepta canam pro me tot uota, precesq́;
Virgineo fusas pectore? durus ero,
Durus, & æra fero gestare in corde fatebor,
Si non sim patris sim memor vsque tui.
Scilicet è stratis, cum vel Pallantias exit,
Corripiam corpus, uel uaga Luna, cubem,
Nec mentem, per quos vitalis ducitur aura,
Incendat grata debita flamma face?
Aluare, Pierias testor mea numina Diuas,
Numina non uerbis euiolanda meis.
Siue dies altum radiis illuminat orbem,
Seu nox atra nigros ad iuga cogit equos,
Pectoris obseruans oculis tua semper imago
Errat, & hāc animo non fugat alta quies.
Quid tamen hæc prosunt? si cæca obliuia nostris
Nocte putas annis incubuisse sua?
Et quereris pigro nil ad nos pollice duci?
Desidiamq; ardens arguis ipse meam.

Nullum

Nullum ad vos (iterũ testor mea numina) scripti
Sponte tuli vacuum præteriisse virum.
Testis, qui febris flammam leniuit, Apollo,
Et dedit optatum scribere posse. vale.
Nempè sit exitii medio flagrantis in æstu
Non satis heu firmo pollice ducta salus.
Quot q;, quibusq; malis premerentur corporis artus
Ah nimium vero dixerit illa sono.
Nunc tandem charos meliori sorte potito
Ex animo vultus deleat umbra meo?
Mon da prius Persas, te Lusitania Tygris
Alluat, & Gallos Indus inundet agros.
Gryphes equi vincant, validos armenta leones,
Nec fugiat Nisum Scylla, nec agna lupos:
Quam reus accuser malè gratæ ob crimina mẽtis,
Crimina perfidiæ deteriora lue.
Siquis in hanc venit fortaße, ut venerit, vrbem
Musa expectatum nec mea mouit opus.
Quid mirum? cum vel me lectulus æger haberet
Oppressum variis (diximus antè) malis.
Vel fora non firmis prohiberet greßibus angor,
Cogeret, & miserum delituisse domi.
Et geminas (cum scripta darẽ pro Lope) tabellas,
Argumenta animi non malè certa dedi.

Bis puto, cum cursu latè festinus anhelo
Nuntius inceptum non remoratur iter,
Intermissa salus nostra est, testabitur ille,
Nosq; canet falsi criminis esse reos.
Fortè tamen Fortuna meis contraria votis,
Quæ scribo ad vestras non sinit ire manus.
Siue amor officiis nunquam securior vllis,
Plurima cum dentur, plura ferenda putat.
Gratulor hunc cumulum votis accedere nostris.
Nempè mouet questus hos tua cura mei.
Ergò nec Piladen nec fidæ mentis Orestem
Maiori vero gutture fama sonet.
Parciùs obiiciat iuuenum Troiana duorum
Turba fidem, sileat Gnosia terra suos.
Aluarus è duri Beltranum faucibus Orci
Liberat, & valida funera vincit ope.
Nũc quoq; cura mouet, flãmisq; amor aureus vr-
Acrius, ò felix terq;, quaterq; malũ! (get
Cum grauis insultat vultu fortuna nocenti,
Omnia depressum deseruêre caput.
Me domus afflictum Gomezia subleuat; & me
Cum necet, est illi nausea nulla mei.
Sors alios priuat caris, cum reflat, amicis:
Augetur sortis turbine nostra fides.

Ad Ioan. Fran. Apostolum.

QVæ mea culpa tuã mutauit Apostole mētē,
Vt renuat placidũ ducere dextra valè?
Non tua nixus ego rapidis dare carmina flãmis.
Nõ ego strinxi auidas in tua fata manus.
Cura tibi, ceu noster honos, mihi gloria vestra,
Inq; vicem mea te, me tua cura rapit.
Non modò tota domus, cui clara scientia lumen
Præbet, & à docto docta parente micat.
Sed quam tristis adhuc, & mæsta Valētia luget.
(Me miserũ ĩ lachrimas cogor abire tuas.)
Nouerat et miscens pia murmura nomē habebat
Vix intellecto semper in ore meum.
Nempè animum patrii pondus tangebat amoris,
Corpus erat paruum, mens tamē apta seni.
Errati vellem mihi conscius esse, videntur
Haud grauiter pœnam qui meruêre, pati.
Fortè quod & nostram presſêre silentia linguã,
Tu quoque constituis more tacere pari.
Di melius, simili quam more silentia quæras,
Heu, mala quot tremulas præpediêre manus
Ora notat pallor, sitis obsidet aspera fauces:
Tinnituq; auris subruit ægra caput.

Conficit ignis hepar, tumor infert bella lieni,
Pulmo graui tußis concutit ima tuba.
Nescio quis renes vrens malus opprimit humor,
Vesicam & prohibet munus obire suum.
Nā neq; carnis atrox tuber, neq; calculus vrget.
Causa latet, nec qui voluere poßit, adest.
Siuè latus diris cruciatibus infestatur,
Siuè nouo pectus triste dolore gemit.
Venit Apollineas monstrum quod polluat artes,
Quid nisi ciuili ligna reuincta toga?
Indè ut vena micat, digitis explorat iniquis,
Nil aliud nouit quam febris ille vices.
Me miserū, in vestes venerāda sciētia uersa est.
Ille sapit, talos cui toga longa tegit.
Scilicet effugiunt medicinæ arcana tueri
Aurea, succensi ne Iouis igne cadant,
Constitui mutare locum, cœliq; virûmq;
Euitare luem, nec mora longa fuit.
Aëra non sanum, nec sanius aëre vulgus,
Adq; imos vito pallia lapsa pedes.
Quæ peterem nisi quæ nimium felicia Lanæ
Mœnia, quæ tecum, mi Gulielme tument?
Hîc nouus incumbit dolor, et noua plaga retētat,
Heu quantum cæcæ pectora noctis habent!

Effuge-

Effugere infesti properauimus aëris oras,
Leniret tandem pectus ut vlla quies.
Et Gulielmus abest, vtinã quoque clarus abeßet
Lana, nec à tantis opprimeretur aquis.
Fida domus domina, & custodia concidit. Anna,
Concidit inq; thoro tabida tota iacet.
Non tamen ille potens Lerneæ virus echidnæ,
Factaq; Neßea vincere damna lue,
(Quem si fixurus toties Saturnius esset
Fulmine, Styx quoties expoliata gemit,
Deficeret positis iam pridem incudibus Aetna,
Fractaq; Cyclopum membra labore forẽt)
Quid nouit, fugêre artes, euanuit orbi
Ingenium toties utile, mensq; cadit.
Talis Amyclidæ de vulnere fertur Apollo
Mutus, & inuenti non memor ipse sui.
Quam vellet pectus releuare Coronidis idem:
At dolor omnigenam mente fugarat opem.
Quis iaceam, qualisq; vide, modò vota fouebam,
Quæ si non essent irrita, saluus eram.
Saluus eram, & felix solatia pectus habebat,
Omnia sed luctu miscuit atra dies.
Plurima quid referã? gemini furor æquoris vrget,
Hinc animi ærumnæ, corporis indè premũt.

Quid

Quid facias, quid tota domus gerat ordine pãdas,
Pollicis ast ictu dexteriore, vale.

Testatur se non amplius Elegos scripturum.

QVid lasciua meas tenuas Elegëia vires?
Grandiaq; ausura vela morare ratis?
Non decet Elæos sudare in carcere cursus,
Tardus in angusto puluere ceruus erit.
Quæ medii nuper spumas salis ære secabant,
Quis probet in paruo ludere rostra lacu?
Sic pudet ingenium leuibus male perdere nugis
Cui modò cura feri prælia Martis erant.
Posset Idumeas dare iam, nisi laua fuisset,
Mens patriæ palmas; præmia iusta, meæ.
Per te ciuiles iactat mihi Corduba pugnas,
Per te iocundos Bilbilis alta sales.
Respuimus per te quas vltrò Mantua laurus
Nectebat, per te quod mihi Sulmo dabat.
Dulcibus illecebris eneruas callida mentem,
Dum sequitur Cypriæ tela pudenda Deæ.
Quid? quod et Astrææ cupientẽ apprendere fasces
Deprimis, & fasces, linquere, iusq; mones.

Aethe-

Aethereum vatem, formidatamq; parabam
Edere Tartareo vocem, animumque Ioui.
Nec me blanditiis, nec deterrere rogatis,
Nec poteras duris impediisse minis.
Instat Amor vinciq; dolet sua tela, premitq;,
Nec magnũ innumero vulnere turbat op⁹.
Scilicet arcanum templi penetrale tegebat.
Callidus insidias inuenit ille nouas.
E nitidæ flammam furatur Ianthis ocellis.
Flammam quæ mentẽ, quæ rapit ora iacit.
Arbiter arbitrium subii, telisq; decoris
Succubui victus, qui modò victor eram.
Tunc demum fregêre meas suspiria vires
Alta, graues curas altera cura premit.
Ah quoties vultus confesso arcana rubore
Canduit; & tabulas imbuit imber aquæ!
Mollitiem cordis, segnemq; coarguit orsum
Auerium, & cœptus exprobrat vsq; meos.
Et pudet ingeniũ, natumq; ad grandia alumnũ
Materie hac vires extenuare suas.
Parcite non cautæ patriæ pia iura iuuentæ.
Hæc erit, hæc Elegis vltima meta meis.
Postmodò siderea verbis Clementia nostris,
Ceu decet; ingentem ducet ab arce Deum.

Sternit

Sternite fronde vias, aspros euertite montes,
Vrite cum spinis arida ligna suis.
Qualiter obscuræ caliginis excutit umbras
Lucifer & reducē monstrat adesse diem:
Zacharides iterùm Petri conclamat ab arce,
Nuntiat & reducē iam propè adesse Deū.
Lauriger exiguo Tintus caput exerat alueo,
Ipse suas amnis. Bogius auctet opes.
Nuntius æthereus vos pro Iordane frequentat,
Pro Solyma Auerias itque, reditq; domos.
Felices Iordanis aquæ, felicior vnda
Vestra, Deos inter vos, videt ille viros.

Siluarum Finis.

MICHAELIS GASPARIS BELTRANI LVSITANI

EPIGRAM. LIB. I.

Ad Bernardinum Sabaudicum Racon. &c. dñm.



T fugerent oculos maculæ, si forsan inessent,
Lineaq; instabili non benè ducta manu.
Mos erat artifici, Cous quem protulit orbis,
Perfecta è celso prodere signa loco.
Nos autem Clario tabulas de more loquaces,
Maius Apellæa condimus arte decus.
Iniustis ne oculis dubiæ summittere plebis,
Si non ex aliqua prodimus arce, licet?
Audax purpurea Clio discedere ab aula,
Sacra patrocinium spernere vile, nequit.

Tu

Tu qui Græcorum procedis origine regum
Bernardine operis lux eris, arxq; mei.
Cynthius obſcuras Diana illuminat vmbras,
Nubila tu radiis indue noſtra piis.
Non auis admittit Sol uultum ignobilis, ignes
Nec ſpectare queat turba profana, tuos.
Nil opibus confiſa ſuis modò carmina adoptes.
Non uulgum, inuidiæ non metuemus onus.
Vtq; refloreſcunt Caroli ſub numine Siluæ.
Floreat auſpiciis ſic epigramma tuis.

Ad Iſabellam Sabaudicam Rac. &c. Dñam.

Siqua pudicitiæ ſeruauit iura, vetuſtas
Huic memor æterno ſacrat honore decus.
Inde cruore madens animoſa Lucretia ferrum,
Iphias inſanos iactat vbique rogos.
Illa ſua thalamum ſocialem morte redemit
Non negat illa viri manibus ire comes.
Volue tamen cunctos generoſa Sabaudica faſtos,
Par meritis nuſquàm eſt vlla marita tuis.
Actæon oculis prohibet mihi lædere numen.
Tu ſcrutare ſacræ, fas tibi mentis opes.

Qui

Qui vitæ sibi nomen emit discrimine, clarus:
Clarior est castus, sed sine cæde, pudor.

In Zoilum.

Zoile, si videor tibi fortè obscurior æquo,
Deme pilos rubro vertice clarus ero.
Non oculis se pulchra tuis effingit imago.
Perlege, qui clamant, hic lepus, ille canis.
Quid studeam placuisse rudi? Viualde, labores
Docte proba, aspires Magnocaballe sat est.
Quis dubitat, quin ille probet? quin diligat ille?
Arbitriis Paulus plaudat vbique suis?
Deficis à tanti num mentibus ordinis? ergò
Carpere quod possis nil, nisi probra tua, est.

In Bartum.

Vt caueas, fremit ore ferox leo sibilat anguis,
Vt caueas barbà Bartus, & ore rubet.

In eundem.

Indicit sacræ pueris ieiunia lucis,
Præcipit atque epulis abstinuisse, bonũ est.
Ast

Ast implorantí negat omnia Bartus egeno,
Poßideat proauis cum potiora; malum est.
Quis credat? prodest vitium; replet ære crumenã
Ille grauis pueros mittet in astra fames.

In Deliam.

Oris ebur monstras rarum mihi Delia, verum
Quot dentes, tot sint lumina, Gorgon eris.

In Corialiam.

Quantum ars naturæ præstet Corialia mõstrat
Glabra gerit crines, pallida nempè rubet.

De Iacobo Lana.

Cum febris Infernis tenuatos ignibus artus
Vreret, inque dies cresceret atra lues.
Auxilium, vitæq; abiit spes, ipsa saluti
Diffidens dederat se Medicina fugæ.
Quos non thure focos? quas non incendimus aras?
Quos non clamauit turbida linguâ Deos?

Præ-

Præcipuè Musas, & Phœbum ritè vocabam.
Nec mihi dāt Musæ, nec mihi Phœbus opem.
Lana malis tandem mersum miseratus acerbis
Affuit & mira leniit arte luem.
Ite igitur Musæ, ualeant tua numina, Phœbe,
Lana mihi Musæ, Lanaq; Phœbus erit.

In Bartum.

Id genus affirmes alia à Cicerone referri,
Vult eius generis regula, Bartus ait.
Affectu patrio te, Carole, prosequor, inquam.
Clamat, ego te, uult regula Bartus, amo.
An nè Maro, Ciceroq; errant? elegantia reddit,
Illa quidem, at non ut regula nostra petit.
Cur igitur vano cui regula semper in ore
Despicitur fidei regula, Barte, tibi?

Ad Carol. de Balbo.

Dum cupit insignis mihi, Carle, poëta videri
Nasonem Balbus, Vergiliumq; ferit.
Et nostræ ætatis tam docta examina ridet,
Viuere ab expensis non nisi posse suis.

Piscibus ille libros fecit, ridere (quid hoc est?)
Tam mala qui fecit carmina Carle potest?

In Deliam.

Quod debent aliæ naturæ, Delia ferro.
Nunc iuncta est fuerat laxior ante cutis

In Bartum.

Rusticus affectat regalia nomina Bartus,
Siluestresq; animos occuluisse cupit.
Quodq; pater sutor satoris filia, mater,
Vilem inopi quondam quæreret arte cibũ,
Attribuit sorti. sors est & lumen iniquum,
Et color, at mores, dic, cui Barte refers?

In eundem.

Quò magis accedit naturæ dignior hoc est
Laude vir os balbũ est, nis rubra, lumẽ hi
Insidias, fraudes, probra, et scelera omnia captæ
Naturæ accedas vt benè, Barte, tuæ.

De Flacco.

Dulce rubet Flaccus, loquitur benè, teſte ſorore
Triſte rubet, loquitur teſte ſorore malè.
Quid dicam num ſola oculos habet Elia, ſola
Flacce, cor? at cordis nil minus oris habet.
Iudicat externum male cætera turba decorem,
De femore arbitrium ſed facit illa tuo.

Ad Ioan. Franç. Apoſtolum.

Miſerat inſignem palma Franciſcus Honorem,
Hûc vbi me ſoboles Andreaſæa tenet.
Nec mora mandatis obtemperat ille, penates
Nō tamē hi ſunt queis ſpōte moretur honos.
Hic cupit, & metuit domini ſine pace redire,
Non poſſe inſigni nos pudet ore frui.
Nempè labant nimio fragiles ſub pondere vires
Aptius Aſtenſes incolat ille domos.
Iam redeat; reditusq́; tuo ſit Apoſtole Honori.
Dona, pudor nobis, dona, repulſus erit.

In Pompeium.

Dicebam ſcrobe callidæ doloſa

Pompei, capieris vsque nuptæ.
Rumores populi caue malignos.
Reddebas subitò. timere quid me
Rumores populi iubes malignos,
Cum ius plus fidei velit ducentis
Auritis oculato habere testi?
Si ius plus fidei iubet ducentis
Auritis oculato habere testi,
Quanto plus habeat mihi osculato?

De præcocibus Philiberti Pingonij

Quæ legis æternæ Pingonius addere nocti
Constituit, viridis luserat illa puer.
Non tulit èq; auido Beroldus vendicat Orco,
Quid facis? hoc genitor ceu rude spreuit opus.
Spreuerit ingratus sibi, tantosq; increpet ausus:
Carpent officium secula nulla tuum.
Vtq; inuitus habet Maro, sic Philibertus habebit
Hic sobolis dono, Cæsaris ille decus.

De eiusdem duodecim tabulis.

Castalio exornans Pingonius aurea cultu,
Quæ malè seruarat lamina, iura nouat.

Nec satis hoc iuris reuocat sub sidera rursus,
Inuida quos Lethes merserat vnda duces.
Ergò age laurigeros grata date mēte triumphos
Qui regiis, magno non minor ille Ioue est.
Nempè hoc Pingonio leges debere fatentur,
Quod tibi terrifici, Mantua, Martis opus.

In Balbum.

Cum Gregorî caueat mens ne fallacibus annus
Decipiat numeris festa, piasq; vices.
Soluite (pascit enim pueros mercede recepta)
Balbus, ait. bis sex signa decemq; dies.
Cura decem Gregorî, totidem mihi regia soles
Contulit, ô sacri mens veneranda viri!
Cum nisi restituant aliena, fugentur ab unda
Lustrali Iscarium turba secuta nefas.
Tu sacer, & Christi mersatus in amne rapinis
Inscribis Petrum flagitiisq; tuis?
Quære aliud furtis velamen, Balbe, quod inquis?
Frater eget, pellex est, pueriq; domi.

Ad Paulum Aemilium Apostolum.

Aonios Balbus clam mordet, Apostole cætus
Dente furēs. malus est uir, bonus ergò ruber

In Mæuium.

Vt lupus odit oues, uolucrum regina columbas,
Scylla tremit Nisum, Dædaliona Progne.
Mæuius horret olens catulos; & iure, feratur
In montes, montes obsidet hostis atrox.
Seu petit ille vrbes, resonant latratibus vrbes,
Terreat alta canis marmora, findat aquas.
Dianæ inuisum laniari Actæona credas,
Et sæui furiis Theridamantis agi.
Aut infesta cohors furi monet ostia claudi,
Diuitiasq; locis delituisse suis.
Aut ductu natura tuo (quod credere malim)
Ne rabie mundum polluat ille, cauet.

In Gebennas.

Cur fugiunt oculo feles metuente Gebēnæ?
Caluinus Stygio mure creatus erat.

In Bartum.

Balba soror, balbus frater, balbiq; parentes,
Et rubra, & læsa est lumine tota domus.

Hunc

Hunc similes oculi; similis color inficit, ora
Franæ ligant. Bartū quis putet esse nothū?

De Syro ad Ruffam.

Se gratum dicit Syrus vnde? ingratius illo
Nil est, mentitur improbus an nè Syrus?
Gratitat in pratis viridantibus anser, & illo
Vtitur hinc voluit ducere Ruffa decus.
Vel quia sunt minimè bona, dicere bella solemus
Sic, cū sit minimè gratus & ille mihi est.

In Clitiphonem.

Aut qđ cācellis Clitipho domini excubat, aut qđ
Dignus cancellos carceris ille pati est.
Aut quod ductus haræ cācellis, aut quod ab horti,
Cum studium penna sit reperire cibum.
Affectat dici mihi cancellarius; ingens
Personam, & munus nomen adornat, ait.
Nomina si capiunt te grandia, nomina sume
Cūcta simul, verū moribus apta tuis.

In Bartum.

Spiritus est sanctus, spectetur origo, celeuma
Bartus ait, flammas nã leue pneuma notat.
Flamma animã signant, & tertius ordo celeuma
Accipit, est sanctus spiritus ergò bene.
Qui verum calles, eleganti intexere nodo,
Et rectè à primo fonte celeuma trahis
Quid rubor, & linguæ frænũ quid lumen iniquũ?
Si verum intexas, sis mihi, Barte, bonus.

Ad Carolum.

Ora sono Chloris non audet soluere, quare?
Ne videas empti Carole dentis ebur.

De Barto.

Longum oratorem cur Bartus ferre recusat?
Orator nullus subdola corda probat.

In calumniatorem.

Illudit rerum dominos tua pagina Iberos,
Probraq; mendaci pectore ficta vomis.

Si

Si perges linguæ virus diffundere, disces
In dominos cæca sumere tela manu.
Scilicet inuictos animos nunc Martis in armis.
Si fremis, Aoniis experiere feros.
Bilbilis insanos, nec te latet effera morsus
Eludit morsu deteriore furens.
Sufficiet satis hoc, nisi te dementia instam
Traxerit in pœnam. tu memor esto fugæ.

Ad Lycoridem.

Lingua fertur inops pictura, loquuntur at ora
Humanum, sunt & picta, Lycori, tua.

De Barto ad Carolum.

Nil sonet os cordis nisi vis tibi, Carole abundet,
Docti instar regis Bartus in ore gerit.
Nec tu aliud cordis quam veri intellige vires
Ingenii, mores cor notat, usque fremit.
Ille autem sonat vsque dolum, stulta egerit usq;
Stultitia, & crebris fraudibus ergo scatet.
Non mea te cæcis damnat sententia verbis,
Voce notas mores mens tua, req; tuos.

De

In Zoilum.

Zoile, cur malim numeris mordacibus vti
Quæris? et hoc mirũ est vnde mouetur? habe.
Inde sacri vates quia virtus vnica cordi est,
Hostis atrox animi vis scelerosa mali.
Non Bernardinos passim, Carolosq; uidebis.
Inuenies Barto Zoile mille pares.
Idcirco nostris fulget laus rara libellis,
Sacrilegum mordet sæpe Thalia nefas.
Si Bartum, Balbumq; cano, Cyrnumq; Syrũq;,
Non mihi, sed meritis Zoile plaude tuis,

De Carolo Emanuele Serenifs. Sab. D. &c.

Præcipuo vates Mecænas auxit honore
Vt memorant clari Daunia plectra senis.
Vergilium Cæsar miro deuinxit amore,
Testis Iulææ stirps celebrata domus.
Me Carolus manibus leuat auxiliaribus, ergò
Hic mihi Mecœnas, hic mihi Cæsar erit.

De

De Mauro.

Cum mouet ardentem Veneris lasciuia gallum,
Motaq; festiuis plausibus ala sonat.
Improbe, Maurus ait, das hæc spectacula natæ,
Nec scelerare meæ virginis ora pudet?
Et petit hunc saxo, cui filia murmurat amens,
Gaudia non volucri, sed mihi stulte, negas.

In Bartum.

Prisca legas, dixi. scandes Helicona, magister
Dicebat noster hæc quoque, Bartus. ait.
Nostra ætas, itero, melior quam pristina, clamat
Bartus, idem doctor dixerat antè meus.
Balbus, hebes, ruber es malaq; oĩa pectore gestas,
Et tuus hoc solitus dicere doctor erat.

In Bartum.

Ne meus augusta Bartus stet rectus in aula,
Affligit miseros ficta podagra pedes.
Nulla imploranti dat munera Bartus egeno,
Affligit miseras vera chiragra manus.

Vis

Vis melius certam quam Pæon ferre salutem?
Munera da, chiragrã, tũde fuges podagrã.


De Balbo.

Si non diues agris, ficetis Balbus abundat,
Sic vt diuitias oderit ipse suas.
Se clarum dicit, quidnii? nil clarius usquam est
Sidere. non modico sidere lingua rubet.
Quid mirum si sidereus, diuesq; libellos
Vir repleat paßim, continuetq; meos?

MICHAELIS GASPARIS BELTRANI LVSITANI

EPIGRAM. LIB. II.

Ad Bernardinum Sabaudicum Racon. &c. dñm.



ST pretium vario varium, mercesq; labori.
Non capiunt omnes æra minuta manus.
Aucupibus, nautisq;, lacertosisq; colonis
Instantem satis est arte fugare famem.
Clarũ aliquid qui fecit: amat sua pmia Musas,
Quoq; magis virtus crescit, abundat amor.
Scilicet hoc lucrum est, hæc fului clara metalli
Munera, virtuti par bibere aure decus.
Inde viris mos est sapientibus, huic dare laudẽ,
In commune auidis consuluisse bonum.
Nos igitur, sicui, tibi Bernardine decebat
Vocis honorificæ condere ritè melos.

Seu regum sublime genus, seu gloria patris,
Seu vario insignis frater honore mouet.
Seu thalami sociale decus, seu bella iuuentæ,
Seu magis aßiduus pro duce vbiq; labor.
Sed nondum teneræ valeant ea pondera vires
Ferre; ferent olim, parq; ego rebus ero.
Intereà nostras non aspernabere nugas,
Si pietas animi non male nota tui est.

De Isabella Sabaudica Racon. &c. Dña.

Si Venerem virtutis inops forma intulit astris,
Pallas ab ingenio numen adepta suo.
Clara pudore Deos adiit Diana, pudore
Iuno frui meruit fratre, viroq; Ioue.
Arte Ceres cœlum, cœlum petit arte Minerua,
Quasq; locant inter secula prisca Deas.
Pectore se virtus Isabellæ colligit omnis,
Quod dabitur nectar? quos reget illa Deos?

In Bartum.

Offundit piceas oculis Natura tenebras,
Incestes visu, ne bona, Barte, tuo.

Turpe

Turpe caput rubro sordet, mentumq; colore,
Ne tacito noceas, Barte maligne, dolo.
Iniecit stolidæ meritò retinacula linguæ,
Ne careas fræno, Barte maligne, tuo.
Pectora, cum triplici pateant satis impia signo;
Quid clàm conaris fallere? falle palàm.

Ad Aluarum Gomezium.

Iam nostræ compos acies, atque arua tenebant,
Inq; sua stabat miles vterque domo.
Bis ludemus, ais. primæ victoria pugnæ
Carmina sex, epulũ palma secunda feret.
Phœbus adest, inopiq; fauet de more clienti,
Fercula tu debes, Aluare, carmen ego.
Soluimus en pretium pugnati carmina belli,
Debita tu positæ munera solue dapis.
Promissa excedit numerus si carminis; esto
Sic & pollicitis pinguior offa tuis.

In Gallium.

Arcana euoluit dum Tulli Gallius, alter
Arcani euoluit Tullius ima thori.
Cum videat demens tot corã approbria, perfert?
Plura feret, socius dummodò dicta probet.

Hic

Hic sua facta, miser, tua non dicta approbat. ecce
Numine te Lemni mutat, & aure Phrygis.
Non credis? credes olim mea carmina, cum te
Inter Nasonis corpora versa leges.

De Cimbro.

Vt vacuum vidit cyathum (vacuauerat ille)
Illisit furiis cimber adactus humo.
Increpat hunc hospes. cui reddit potus, an & mi
Destitui, quæ me destituêre, nefas?

De eodem.

Pocula quæsitus, cur impegißet arenæ,
Cimber ait, cur me deseruêre, roga.

De Germano.

Germano truncas non paruo vulnere nares
Chirurgus docta fortè ligarat acu.
Multa etsi caueas, dixit de more, necesse est,
Maßica præcipuè nunc inimica tibi.
Nec mora, Germanus manibus nasum abstulit (vncis,
Vina mihi naso sũt potiora, fremẽs.

In

In Zoilum.

Cum vitio vertat bona Zoilus, impia laudet,
Ille tamen dici vult bonus, est nè ruber?

In Cirnum.

Quod dirum affectat frater meretricis amorem,
Et Scorto gestit nubere, Cirne, furis.
Degeneremq; vocas, patribusq; simillima spondes
Connubia abstineat turpibus ille thoris.
Auspiciis generosa tuis stabularia fratri
Ducitur, ha liquido stirps tua, Cirne, patet.

In Deliam.

Vespere dulce rubet mea Delia. vespere densa est.
Mane recens glabra est. pallida manè recens.
Quid mirum? de nocte color consumitur emptus,
Nocte sinus instar exuit illa comas.

In Bartum.

Si notat indiciis mores natura profanos
Peior eris signum cum meliora notet.

Lumine nil melius, signant hoc, Barte tenebræ,
Barba, comæq; bonum, barba, comæq; rubēt,
Nō mala pars līgua est, frænāt retinacula linguā.
Barte, triplex labes te notat, ergò malū est.
Sed meliora tui maculantur, peius & hoc est.
Sed multò est peius, mens tua Barte patet.

Ad Io: Stephanum Apostolum.

Concutias famulos inclamat Bartolus, heu qua
Hærasis! ignoscit non tamen ille suis
Aegrotas celebres sacra ne ieiunia, morbum
Te simulare putat, non fugit ille dapes.
Si pia pauperibus des munera, clam dare, clamat
Debuerat, clam dat nil, nihil ille palàm.
Cū nihil hic faciat benè cur bona, Apostole, dam
Nè sua notescāt scilicet acta timet. (nat?

In Bartum.

Ad tumulum magni iuuenis Pellæus Achillis
Fleuit, & indoluit vate carere suo:
Me vitam celebrare tuam indignaris, & inde
Ora rigant lachrimæ, contutit ima dolor.

Cla-

Clarius an nè aliquid te ſit? quo maximus orbis
Rex, domitorq́; caret, nauſea, Barte, tibi eſt.

De latrunculorum ludo.

Ordine diſpoſitus ſimulabat bella fritillus;
Et vario plenus milite campus erat.
Incipiunt ſtatione ſua decurrere turmæ,
Quærit & illa dolos, quærit & illa dolos.
Aluarus hæc, victus victori carmina reddet,
Alba huic parebant agmina, nigra mihi.
Conditio placuit; ſuperorq́; & carmina victus
Victori pugnæ præmia iuſta fero.
Tam bona quid quæris, mereãtur nomina? pactus
Cum male pugnarit nunc det et ille dapes.

De Io: Franc. Apoſtoli libris.

Mantua Martis opus florentesq́; ære phalanges
Vendicat, argutos Bilbilis alta ſales.
Daunius Auſoniam pollex chelin increpat, audet
Magna per exiguos ſulmo referre modos.
Sic Natura ſuas diſpenſat ſedula dotes;
Munere ne laudis pars vacet ulla ſuæ.

Non tamẽ has minuat licet ingẽs Mãtua laudes,
Non lyra, nõ Sulmo, nõ premat altus Iber.
Scilicet è numero ſelectus Apoſtolus omni,
Conceſſas nulli poßidet vnus opes.

De eodem.

Optata quærebat Honos requieſcere ſede,
Hinc trucis expulſus Martis, & inde minis.
Aſta pererrato tandem ſeſe obtulit orbe.
Iactat Apoſtolium ſcilicet Aſta decus.
Inſilit hûc, lætusq; animo ter, Apoſtole, frondis
Solus Idumææ præmia, dixit, habe.

In tumulum Margaritæ Valeſiæ ſereniſ. Biturgium & Allobrogum. D.

Mõſtrabat miſero inſultans Mors (flebile) mũdo
Margaridos tinctas cæde recente manus.
Non longùm, dixit, lætabere Phœbus, & arte
Miranda tumuli nobile ſtruxit opus.
Victurasq; addit valido cum robore Muſas.
Claraq; de victa Morte trophæa tulit.

Margaris

Margaris hinc spoliis ornata insignibus, hoste
Oppressa clarum tollit in astra caput.
Qui potuit tenebris victam submergere mortem,
Hic tumulus uerè palma vocandus erat.

De eodem aliud:

Clara ferum valido tremescecit Iberia Turcam,
Robore, & Eoas æquore fregit opes,
Catus Apollineis uatum conspectus in armis,
In tumulum mortem, nigraq; busta trahit.
Nec satis hoc, victrix meliori vescitur aura
Margaris obscuræ præda petita Deæ
Iure ergò hæc omnes superat victoria laudes.
Omnia cui superans mors superata cadit.

De eodem aliud.

Callida belligeri cedat solertia Pœni.
Dißimulet textum robore Græcus equum.
Secula laurigeros sileant antiqua triumphos,
Nec laudent aptos ad fera bella dolos.
En capit in tumulo (quis poßit credere) mortem
Delius, en iterùm Margaris alta redit

Iſta triumphali victoria digna corona.
Hic tumulus fama dignus vbiq; coli.

De Ludouico Rochefortio.

Cum puer Eoos iactaret fortè triumphos
Bacchus & ex Indo parta trophæa ſolo.
Vix tenuit riſum Alcides ea robora certè
Monſtrat, ait, moles corporis iſta tui.
Cui puer, haud magni virtutes corporis artus
Oſtentant, animo ſtantq; ſedentq; graui.
Nonnè vides quanto Rochefortius auctus honore
Immenſum in paruo corpore numen habet.
Dixit; & exemplum mouit venerabile diuum.
Scilicet hoc virtus ponderis vna tenet.

Ad Bernardinum Guatium.

Senſimus heſterna nobiſcum nocte iocari,
Cū tuba pro cyatho tradita plena mero eſt.
Senſimus & puduit, ſic, Bernardine, iocaris?
Non decet hoc vatē, num piget? adde iocos.
Erubeam potiùs, quam tu. ſed forte uidemur
Poſſe parum, contrà, pocula redde, canes.

De

De Ioan: Matheo Stancho.

Eridani prope stagna forum fundauerat olim
Fuluius, & valido milite cinxit opus.
Nunc domus egregiis Stanchorum ciuibus ornat
Nobilia e minimo mœnia facta foro.
Ioannes claro ductus de sanguine stirpem
Astra super, morum nobilitate locat.
Nec patrios tantum titulos virtutibus æquat,
Sed meritis uincit maxima quæq; suis
Hoc decus hac maius de stirpe Valentia ducit,
Quò magis excellunt oppida clara forum.

De Gaspare Brignano.

Viderat immersum cæca caligine verum
Astræa, & noctem iuris inesse libris.
Talibus orsa modis Doctrinam emisit, iniqua
Sit tibi Brignanus duxq; comesq; viæ.

Ad Magnam Matrem.

Clamaui, audiuit, petii. dedit æthera virgo.
Grata polo mens est fixa, tabella tholo.

Ad eandem.

Clamaui in trepidis Virgo tua numina rebus,
Non passa es timidas tot periisse preces.
Quas tibi dem grates? non est opis optima nostra
Nec tua mortalis munera lingua sonet.
Quod licet hanc animam (tibi se debere fatetur)
Offerimus, numero ne bona pelle tuo.

Ad eandem.

Corpus inops febris calor exitialis edebat,
Nequicquam tristis lauerat ima liquor.
Fleximus ad magnam melius vestigia matrem.
Ipsa fuit mediis portus & aura malis.
Huc celerate gradus, quos noxia pestis adurit,
Haec dabit optatam, ne dubitetis, opem.

Ad Stephanum Ruffam.

Cur toties odiis, toties obnoxia ferro
Effugit vltrices, Ruffa, Geneua manus?

Exco-

Excedit diuina modum (si dicere fas est)
Ira, impunè vagum cum sinit ire nefas.
Sic Sigorim effrænam, vicinaq; mœnia passa est
Bacchari, ut premeret deteriore malo.
Ah miseri; quos ira Dei sera opprimit, agri
Non leue supplîcium corporis illa petit.
Expectat flammas radicitùs eruta uitis,
Expectat certos arida silua rogos:
Expectat ferrum plaga insanabilis, agmen
Expectat Phlegethon, dira Geneua, tuum.

De Cæsare Bussa.

Aethere virtutes descendere vidit ab alto
Deliùs, & siquod sidera lumen habent.
Quò fugitis genorosa cohors? ait. aurea reddit
Turba, colit terras, Delie, Bussa, vale.
Aethere Mõtis apex Magni mihi pulchrior, olim
Astra manent, astris cum velit ille frui.
Nec mora, descendit parili deus actus amore,
Et gratum in claro pectore sedit onus.

De societate Iesu.

Toxica diffudit miseras Caluinus in Alpes,
Vicinum diro mox petit igne Padum.

Non

Non tulit, & cælo socios demisit Iesus,
Qui valida vincant flebile virus ope.
Nec satis est Stygii morsus eludere monstri,
Ni remouere grauis sit quoq; pondus humi.
Hinc videas errare faces, hinc sidera spargi.
Hinc Tagus, hinc Gangis irradiātur aquæ.
Seu tibi iustitiæ sensum reperire seueræ,
Seu Latii nodos soluere iuris amor.
Seu superas penetrare plagas, socialia Christi
Fœdera, non ullo te prohibente, docent.
O sacri veneranda poli clementia surgit
Gloria de certis certa, decusq; malis.

Ad Ioañ: Franciscum Apostolum.

Dum tua virtuti me condere, Apostole, laudem
Musa iubet, totus pectore Bartus abît.
Sic siluêre nurus, imitantesq; omnia mimi,
Cum petit austerus festa iocosa Cato.
Quid facias, aduerte. legenti nausea, nobis
Sudor es. ergò habeas hinc Cato, Barte veni.
Iurgia felici veniunt mordacia vena,
Hæc capiũt mentes, hæc scelus omne fugãt.
Qđ tibi Cyrnus erat. nũc est mihi Apostole Bart'
Ille tibi lepor est, sit lepor iste mihi.

Quærere

Quærere te Samii sensum Zauenolus adegit,
Me fecit medicas voluere Bartus opes
Ille nuces terebrare solet, conuitia fundit
Hic, rostro ille fuit fraudibus iste potens.
In Picum verti & duro occallescere rostro
Debuit ille; artus vulpis inire meus,
Balbus hebes, ruber est, nec nasi imunis. at urget
Sæua chiragra manus, sæua podagra pedes.
Auxiliū docui, manibus, pedibusq; medere,
Crinibus, ori, oculis inueniemus opem.

De Ioan: Furnij Grammatica.

Sceptra dedit Cæsar verùm interitura nepoti.
Pœne, Italas frangis sed ruiturus opes.
Furnius æternos regni quæsiuit honores,
Sceptraq; dat nato nōn peritura suo.
Conferat insanos ardens Bellona labores.
Non premet hac auido longior ore dies.

De Bernardini Guatii stemmate.


Nobilitant laurus alios, hic lilia iactat;
Floribus hic vernis, turribus ille micat.

Exoran

MICHAELIS GASPARIS BELTRANI LVSITANI

EPIGRAM. LIB. III.

Ad Bernardinum Sabaudicum Racon. &c. dñm.



T lepus exultìm tutus spectante leone
Ludit in apricis luxuriátque locis.
Non canis infesto petere audet Gallicus ore,
Non Vmber, præsens terret, agitq; fera.
Sic mihi te coràm fas ludere Bernardine,
Auertes sæuos regibus orte canes.
Non semel expertos placidá iuuat ire sub umbrã.
Nitimur auxiliis hac quoque parte tuis.
Musa quidem ritu (fateor) lasciuit Ibero,
Non premet at uersus vlla querela meos.
Limine praua meæ decessit opinio siluæ
Deserat innocuum sic epigramma iube.

Vt

Vt Carolum prima ducamus origine lusus
Hic dabit, hic rerum quæritur alta seges.
Non ergò has tantum nugas tutare, sed altum
Principium stirpis, clare Sabaude, tuæ.

Ad Isabellam Sabaudicam Rac. &c. Dñam.

Ne tempus, dirusq; virum dolor atterat, author
Dat rerum sociam, quæ leuet vna, thori.
Sed quia corporeis sexus virtutibus obstat,
Constituit laudes menti, animoq; suas.
Seminaq; inseruit Recti, Pietatis, Honesti,
Quæq; pii castris turba pudoris adest.
Ferrea depulerant muliebri hæc lumina cætu
Secula, te superæ dant Isabella manus
Ecce redit Pudor, ecce Fides, & Gratia nuptis,
Quæq; ornant thalami nobile nomen opes.
Mascula fœmineo decori data fama Sabaudus.
Ne sacer ætatis degeneraret honos.
Scilicet est virtus virtuti annexa; quid alta
Gratius in faustum fluxit ab arce solum?

De Io: Baptistæ Sabaudici;& Benedictæ Spinolæ nuptiis.

Sanguine quæsita thedæ Scheneïdos, auras
Vincere erat celeri gloria sola pede.
Hippolites bello Theseus. Lauinia lectum
Tros subit, at Turno deficiente, tuum.
Ssc pretium cursus, Pisæ qui fugerat iram,
Te vehit æquoreis, Hippodamia, rotis.
Luxuries antiqua Ducum discrimine mortis
Gaudebat dubiæ pignora nempè peti.
Sublimis Baptista thoro te Spinola iungit
Donaq; non Martis ui meliora refert.
Sed virtute sua, sed nobilitate. loquatur
Ergò hunc pro cunctis Rumor vbiq; thorũ.

De Clemente Viualdo,& Vxore.

Est ubi Iustitiæ rigor exturbatus ab orbe
Virtutum custos iußus abire Pudor.
Tunc mala grassari stupra, tunc iniuria vulgò.
Nec rigidus iudex, nec fera pœna mouet.

Con-

Constituit scelerum motus compescere, mentes
Condidit, æternùm qui mouet astra, duas.
Viualdus iustam, castam Veronica sumpsit ,
Munera ab arcano conspicienda throno.
Ne uè aliquid maculæ posset surrepere eadem
Rex superum iunxit lumina bina domo.
Pergama Thitoni sileant iâm uana cubile ,
Dissimuletq; suam Pelion acre Thethim
Non dedit hoc maius diuûm indulgentia munus,
Nec dabit accipiat prisca metalla dies.

In Bartum.

Si ruber insidias, opprobria Balbus, iniquum,
Lumen amat varii dedecus omne mali.
Es ruber insidias , es balbus iurgia nectis,
Caligant oculi, diligis omne nefas,
Sũt tibi nempè tuæ laus, sunt tibi gloria fraudes ,
Cum benè naturam, Barte sequare tuam.

De Dominico Ruuerio Episcopo Astense.

Viderat ætherea mundi regnator ab arce
Grassari excusso crimina dira iugo.

Iam

Iam fera terribili vibrabat fulmina dextra,
Sed pietas iustis obstitit alma minis.
Et se Runerii fundens in pectora dixit,
Hunc ego do miseris spem, columenq́; viris.

De Paulo Bissolio ex societate Iesu.

Se Tmoli arbitrio voluit submittere Phœbus,
Cum Pan facundum stulte lacessis ebur.
Cum modò iudicium subeat, Bissolius aures
Præbet, sub tanto iudice victor erit.
Siquis quod tantus probat arbiter improbet, esse
Auribus ille Midas, Marsia pelle cupit.

De Clemente Viualdo.

Orpheus eximiæ meruit præconia laudis,
Tecta quod humanum duxit in alta genus.
Fama Ioui rerum validas concessit habenas:
Quod rudibus leges tradidit ille viris.
Sustulit Alciden rerum mensura suarum.
Sideribus pietas intulit alma Numan.
Viualdi innumeras speculata Sabaudia laudes
Regna inter clarum tollit in astra caput.

Ad M. Valer. Martialem.

Quod nil patrono Diodorus porrigit, illum
Nō pede sed manibus, Marce, dolere putas.
Doctori tradit natos nil porrigit Ollus,
Hunc etiā torpens Marce, chiragra premit.

Ad eundem.

Marce, nihil doctis dat præceptoribus Ollus,
Non vnus Chiragram iam Diodorus habet.

In tumulum Ant. Sebast. & Ant. vxoris.

Nomen idem te magna sacris Antonia thedis
Iunxerat, vna duos hora dat, vna rapit.
Vrna duos tegit vna, duos amor intulit astris.
Mors vtriusq; ideo luctu vtriusque vacat.
Mirandum virtutis opus: cum cætera vincant,
Opprimit hæc fortis fortior vna vices.

In Balbum.

Si ſubtile canas, humiliq́; per aera giro
Fortè voles, neſcit ſurgere Bartus ait
Si caput æthereum ſublimibus inſeris aſtris.
Aptior ad tenues eſt ait ille modos.
Denique quicquid agas damnabit, ſcilicet aures
Non vnus ſtolidas induit ante Midas.

In Deliam.

Cum vitium femoris lapſus tibi Delia pellat,
Quis te non vltrò procubuiſſe putet?

De Io: Furnii gram.

Barbaries Latio Muſas eiecerat orbe,
Grammatice ſceptris expoliata fugit.
Inclytus Aoniis ſe Furnius induit armis,
Et regnum in ſena bis regione locat.
Ecce redit Pæan, redeunt ad ſceptra ſorores,
Igneſcunt auri vi meliore dies.

Nunc agè felices, Mauortia pectora, reges
Maiori uerò gutture fama sona.
Tunc demùm virtutis opus mirabile, fortis
Cum fugat ambiguas gloria parta manus.

Ad Io: Stephanum Apoſtolum.

Rex volucrum dat ſacra ferat qui tela: leone
Naſcitur effrænas gens domitura feras.
Cornipedi ſic robur equo, ſic clara iuuencis
Vis patris, Hircanus tygribus ardor ineſt.
At decus eſt oneri patrium mortalibus, ipſa
Laus abit in duplex non imitata nefas.
Quid moneā quæris? Frāciſcus, Apoſtole, Muſas,
More docet Clario noſte, dieq; ſequi.
Ni facias: pateat lumen genitoris; an auum
Deſidiam poterit diſſimulare tuam?
Maior enim virtus decus eſt ſeruare receptum,
Quam ſudare nouū. ſors erit hæc, hic honor.

De filiabus Io: Franc. Apoſtoli.

Argolis Alcide, geminis Latona ſuperbit,
Aeacideq; Thethis, Perſephoneq; Ceres.

Talis

Talis honor claro manat de semine, qualè
Qui radiat fuluo cinctus ab ære lapis.
Gratia Dariam venerabilis edidit; astrum
Fœmineum, Hersiliam Gratia clara dedit.
Vt sileam triplices natos; cui pignora cælum
Hæc dedit? anne Hecatē cōferat alma Ceres?
Aequiparet Latona vagū genus? inclyta nec me
Forma mouet: ceu flos labile forma bonū est.
Aspice virtutes, procul absit, Apostole, liuor,
Contemplare duas mente, animóq; Deas.
Si Charites, Daria Charis, si casta Dione est,
Hersiliam æterno Cyprus honore colat.
Discito posteritas sacras hinc quærere thedas:
In sua maternus pignora transit honor.

Ad Ioan. Stephanum Apostolum.

Quid concepta velit, si quæris, opinio? vincas
Vt Stephane ingentem, si potes, arte patrē.
Ignauum vt Magni mereantur pignora nomen,
Fecerunt uariis parta trophæa modis.
Degenerem vt sobolem temulentia dira notaret.
Temperies, Tulli, causa, decusq; tuum.
Non aliter quæ te fama ornat, Apostole; cedet
In probra, cum studii degenerarit honos.

Ad Bernardinum Sabaudicum Racon. &c. dñm.

Si iuuat annales animo percurrere priscos,
Sincerum nulli fas habuisse bonum.
Styria Peliden uirgo deformat amictu,
Alciden Ioles turpis inurit Amor.
Tu tamen humani nil legi obnoxius æui
Bernardine simul lumina cuncta geris.
Nobilitat te forma decens, te robur honestat.
Tu morum excellis nobilitate genus.
Virtutum collecta cohors confluxit in unum.
Nō Venus, aut Bachus; nō grauis ira notat.
Insanit stultiq; regit Phaethontis habenas.
Qui parat æternum voce referre decus.
Grandis erat series tua cum frænaret Achiuos
Nunc facta est meritis amplior illa tuis.
Altius est animi motus frænare, suiq;
Esse ducem immenso quam dare iura solo.
Scilicet imperii partem sibi vendicat & sors,
Et vis, hæc animi gloria sola tui est.

Ad Horatium Augenium.

Alterius suspirat opem mirabile quicquid
Diuina immenso lusit in orbe manus.
Sic opus auxilium regi est ignobile plebis.
Causa ligat summis infima queq; sua.
Vna sibi virtus spes est, & premium. at ultrò
Querit, & inuitam laurigerambit honos.
Sic subit & Bacchus fama, & Tirinthius astra.
Sic haustum Augenius nectaris ore trahet.
Ille coloratos sua sub iuga miserat, Indos,
Ille quod à tota monstra fugarat humo.
Liberat hic studio lethi de faucibus orbem,
Et diram Claria reiicit arte luem.
Nunc age Calliope priscum te confer in æuum,
Non dedit hoc numen, nec dabit ulla dies.
Clara quidē quæ Marte iuuat, sed clarior, Orco
Quæ mundum, at nullo sanguine, cura rapit.

In Ioan. Fran. Apostoli patriam.

Quid tristes Helicon cies tumultus?
Quid noctes mala macerant, diesq;?
Nuper laurigero micans honore
Gemmasq; Hisperidumq; prouocabas

Quos ditat viridis poësis hortos.
Demittunt modò languidum roseta
Caput, silua comis flet arefactis.
Rogabam; lachrimis refert obortis.
Nostrum Pieriæ decus sorores
In Magni iuga transtulêre Montis.

Ad Io: Franc. Apostolum.


Quis dolor indigno vellit præcordia morsu?
Vnde repentinum pectora vulnus habet?
Sensimus ærumnas quamuis spem fronte serenes,
Sæuaq; magnanimo pectore fata premas.
Consuluit castis cæli indulgentia flammis,
Et velut optasti Gratia sospes adest.
Sospes adest, hilarat q; tuos, sua viscera natos;
Et fouet assueta sedulitate domum.
Tot votis optata nocens sors gaudia turbat?
Hac præsente potest te tetigisse dolor?
Quicquid id est solito frangatur, Apostole, nisu,
Quoque soles varias robore sperne vices.
Non aliter flammis aurum splendescit in ipsis,
Quam rebus virtus laudis auara malis.

De

De Io: Antonio Boccho.

Vercellarum arces premit, & (miserabile visu)
Affligit Caroli tabida membra lues.
Fama uolat tremulas succincta doloribus alas,
Nec iam discrimen, sed fera fata canit.
Lugebant Alpes rectorem vltraq; citraq;
Eridanus lachrimis mœstus adauget aquas.
Non Rhodano stimulatur Arar, tabescit vterq;
Luctibus, insignis cogitat arma Tagus.
Iam Lygeris crispat venabula, sæuit Enyo
Immanem ferri dira mouere sitim.
Arte ferox Bocchi fati cadit alea; belli,
Vitalis Carolum sublevat aura, moram.
Mars abit, abiecit colubros fera Pallas hiantes.
Tartara frustratus morbus in ima ruit.
Hippolitum iactat rediuiuum fabula; Carlum
Aethere sed Bocchi cernimus arte, frui.
Quò magis Hippolitũ Carolus præit, altius olim
Fama tuum tollet Bocche sub astra decus.

FINIS.



SILVARVM

INDEX.

A

B

C

D

E

F

G

H

I

L

M

P

Epigrammata adeò pauca sunt, vt non indigeant indice.

Errata, quæ in aliquot exemplaribus inuenies.

Pagina 29. Eb. lege Hebro.
30. Ire manus, lege manu.
119. in ceſſu lege in inceſſu.
178. Pene Mæotis lege Mæotæ.
292. non procaci libro, lege procaces libri
253. Ruffa thoro, lege Culpa.

Reliqua quia facillima ſunt intellectu, omiſimus.

REGISTRVM

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V.

Omnes sunt Quaterniones.

TAVRINI.
Apud hæredem Nicolai Beuilaquæ
MDLXXXIIII.